DISSERTATIO MEDICA

De

MORBO MARINO

NAVIGANTIBUS PRIMA IN-PRIMIS VICE FAMILIARI,

Quam

AUXILIANTE DEO

Amplissmi Medicorum Ordinis Consensu

IN ILLUSTRI ACADEMIA REGIOMONTANA

PRÆSIDE

Viro Prænobilissimo, Excellentissimo atq; Experientissimo

DN. GEORGIO EMMERICH,

Med. Doct. & P.P.

PATRONO ET PRÆCEPTORE SUO

Omni devotiori cultu suspiciendo,

Ad Diem Septembr. ANNO M DCC.

Publico Eruditorum examini sistit

AUCTOR ET RESPONDENS

CAROLUS JACOBUS ROESER,

Quedlinburgens. Saxo.

IN AUDITORIO MAJORI

Horis Consvetis.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SEREN. ELECT. BRANDENB. & ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.

1700

Prænobilisſimæ atq; Honeſtisſimæ Matronæ

DNÆ. ANNÆ ELIESABETHÆ

natæ REHTMEIERINN,

Plurimùm Reverendi quondam Viri

DNI. JACOBI ROESERI,

Diœceſeos Quedlinburgenſis Superintendentis meritiſſimi ac Paſtoris Primarii ad ædes St. Benedicti derelictæ Viduæ,

Matri Suæ Perdilectæ, ac ad buſtum omni filiali obſequio colendæ:

VIRO

Admodùm Reverendo, Amplisſimo atque Doctisſimo

DNO. M. RUDOLPHO HENRICO REHTMEIER,

Sacri cœtus ad ædem St. Michael. Brunſvic. Paſtori Vigilantiſſimo, ac Subſeniori Reverend. Miniſterii ibidem meritiſſimo,

VIRO

Prænobilisſimo, Conſultisſimo, Amplisſimo

DNO. JOHANNI ROESER,

JCto celeberrimo, Præfecto Bonorum ac Redituum Liberi Baronis à Marenholtz fideliſſimo, Juſtitiæ Adminiſtratori integerrimo,

Avunculo, Patruo, Patronis Suis Patris loco honorandis, devenerandis:

VIRO

Nobilisſimo multoque rerum uſu Experientisſimo

DNO. MARTINO HERRING,

Pharmacopœo apud Inſterburgenſes fideliſſimo maximèque induſtrio,

Fautori ac Amico omni amoris genere proſequendo:

Diſſertationem hanc in debitæ obſervantiæ ac filialis obſequii teſtimonium, Benefactorum redhoſtimentum ac grati animi ſignum cum voto omnigenæ felicitatis ac Benevolentiæ in ſe perennitatis

D. D. D.

CAROLUS JACOBUS ROESER.

I. N. J.

PROOEMIUM.

QUanta commoda pepererint navigationes marinæ & olim & nunc feliciter institutæ, insignes inprimis inde reportatæ divitiæ satis demonstrant. Ex eo enim factum est, quod Salomon quondam stupendos auri, & tot argenti cumulos acquisiverit, ut lapidum frequentiam in plateis æquaverint 3. Reg. X. 27. it. Paralipom. IX. 27. ex quibus etiam adeò splendidum ac insigne templum ædificare potuit, quod post hominum memoriam sui simile non agnovit, nec agnoscet. 3. Reg. VI. à v. 1. ad fin. Conf. quæ Happel. Rel. Cur. T. 1. p. 787. ex Jacobo Jehuda Leone Judæo, & Flavio Josepho Historico Judæo de ædificatione ejus refert. Sed & Patrum nostrorum memoria facilè recolet admirandas illas hominisque linguâ vix effabiles divitias ab Indis per Hispanos aliosque reportatas mediante expeditione navali versus terras istas remotissimas. Ut pauca memorem, expeditio anno 1587. ad Terram Firmam instituta, ultra 1200. libras auri retulit Hispaniam referente Acostâ. Tres naves Amstelodamenses Ao. 1595. ex India Orientali variis pretiosis aromatibus 377823. florenos Hollandicos æstimatis onustæ, intra duos annos domum renavigârunt. Philip. von Zesen descript. urb. Amstelod. p. 166. Imò Ao. 1603. tres naves ex eadem India præter pretiosissimas res alias 1300. libras auri inde reportarunt Mittelburgum in Seelandia. Conf. Happ. Rel. Cur. T. IV. p. 668. T. III. p. 706. it. Ejusd. Thes. Exotic. p. m. 90. Tantæ igitur divitiæ & ex his orta commoda, ut cætera taceam, resultant ex navigatione marium fortunatè peractâ. Verùm enim verò permagnis etiam vicissitudinibus ac periculis sunt expositi mari navigantes, ut tristia eorum exempla subinde satis docent. Modò enim Piratis circumdantur, modò jacturam facere tenentur, modò aëris & aquæ intempestate, ventorumque turbine inter discissos scopulos & aspera montium superfluente undâ absconditorum juga ad eas rediguntur angustias, ut omni momento omnium terribilium terribilissimum sibi ob oculos poni præ anxietate ferè exanimes cernant. Nam:

Vita illic & mors lignô distinguitur unô.

Tristissima ejusmodi at maximè memorabilia naufragiorum exempla le-

gere qui amat, inter alios Recentiorum adeat Willem Ysbrantsz Bontekœ en de Gedenckwaerdige Beſcryvinghe van de Ooſt-Indiſche Reiſe, begonnen Ao. 1618. en volleynt Ao. 1625. & quæ ex Georg. Anderſen Lib. 2. Cap. 21. Deſcript. Itin Orient. Maffej. Lib. 16. Hiſtor. Indic. p. 313. 317. ſeq. Happ. Rel. Cur. T. 1. à p. 633. ad p. 673. adducit. Præter hæc mala etiam morbis quibusdam peculiaribus endemiis, imò epidemiis dicam conflictari obligantur mari navigantes, miſſis enim morbis, quos cum terræ continentis incolis communes habent, præcipuè Scorbuto, Nauſeâ ac Vomitu aliisque Symptomatibus infeſtantur. Illô quidem, qui ſæpius jam marinum ſulcârunt æquor, imò illud ferè inhabitant vel accolunt; his autem plerumq;, qui primâ vice aſcenderunt navem, vel ſub certis plagis conſtituti ad remotiſſimas curſum direxêre terras. De utroque autem hoc morbi marini genere agere hâc vice nimis prolixum foret, quamobrem poſteriorem duntaxat morbum navigantibus inprimis primâ vice familiarem hâc διασκέψει enodare quantum vires permittent, allaborabo. Faxit DEUS, cedat feliciter!

§. I. Admodùm rara quidem apud Auctores de Morbis Marinis veſtigia exſtant, ut nulla ferè, quæ ſequamur reperiamus. Inter Veteres quendam Morbi navigantium meminiſſe non meminimus, inter mediæ ætatis Medicos Avicenna Medicus Arabs circa annum Chriſti 1145. vel 1165. vivens Lib. 1. Fen. 3. Doctr. 5. Cap. 8. p. 70. lit. G. ut & Cantic. Part. 2. p. 574. lit. H. pauca quædam de regimine Viatoris in mari proponit. Dein Barthol. Montagnana Bononienſ. Prof. in Ital. qui circa A. C. 1417. vel juxta alios 1440. claruit, in Selectiorum Operum Conſilio 2. de regimine Transfretantium agit, ac Dno. Abbati Camaraſcenſi in Terram Sanctam tendenti, quomodò in mari ſe præſervare ac conſervare debeat, conſilium impertit. Verùm præter formulas quasdam remediorum vix amplius uſuales non memoratu dignum quid ſuppeditat. Poſteà Joh. de Vigo Julii IIdi Pontificis Chirurgus circa A. C. 1517. clarus, in Arte Chirurgica Lib. IX. de Additionibus febres ſaltem navigantium exponit, & in cæteris Libris quædam Practica inſpergit. Conf. Acta Medica Th. Barthol. Vol. IV. 77. p. m. 180. Tandem Guiliel. Gratarolus A. C. 1510. natus Prof. Marpurg. & Baſil. tract. de regimine iter agentium vel Equitum vel Peditum, vel in navi vel curru ſeu rheda conſcripſit, & Lib. 2. C. 1. apparatum per mare vel alias aquas iter agentium conſignavit, & quidem ex Paulo Ægineta Victum navigantium. Cap. 2. de Nauſea vel vomitu

ſimilibusque Symptomatibus in aquis evenientibus agit. Cap. 3. Potus in navi ut habeatur, aut quomodò ſervetur vinum proponit. Ex hoc quædam quæ inſtitutum noſtrum feriunt, in ſeqq. recenſebimus. Inter Recentiores Joh. Rudolph. Glauberus inter alia quàm plurima Opera Germanica etiam edidit Tractatum Troſt der Seefahrenden inſignitum, ſed ex eo & nos & mari navigantes parum auxilii reportavimus. (1) Non enim clarè ac diſtinctè res ſuas proponit, ſed obſcurè ſcribit ut de ſe ipſo in præf. dicti operis teſtatur p. m. 533. Oper. Chym. in 4to. (2) Multiloquus ac magniloquus & hinc vaniloquus eſt, in multiloquio enim plerumque vaniloquium ſecundum Eccleſiaſticum. Imò tanta plauſtra encomiorum contra omnes morbos marinos ac terreſtres Electuario cuidam tribuit, quanta Panaceæ cuidam ad omnes morbos abigendos aptæ, convenire vix poſſunt. Sed vereor ne laus illa inſtar Pyramidis ſit, quæ IN RECESSU poſſidet NIHIL. (3) Morbos navigantium non explicat ac deducit, ſed ſaltem quomodò frumentum ad famem ſedandam ac aqua ad ſitim levandam concentrari debeat, docet, dein ſe ejusmodi Medicinam poſſidere gloriatur, mediante quâ omnes morbi navigantiū poſſint curari, quam tamen & ex quibus ingredientibus componatur non nominat, tandemque Spir. ⊖is aliaque quædam mirificè commendat, ac aliquot præcipitationes Salis ad dulcificandam Aquam marinam proponit. Verùm ejus concentrationes frumenti ac præcipitationes aquæ applauſum non meruêre, ſed ut theoreticæ non practicæ prudentiorum ac nautarum manibus ſunt excuſſæ, multò enim notiores mari navigantibus jam forent, ſi cum effectu convenirent. Ut taceam Eraſm. Franciſci, qui egregium format de Concentrationibus his diſcurſum, easque ut effectui non reſpondentes rejicit T. III. Luſtiger Schaubüne p. 1186. ſeqq. Poſtmodùm præter tria verba quæ de Nauſea Navigantium Auctores alii paſſim habent, quantum comperiri licuit, quidam exiſtit natione Anglus nomine W. Cockburn Coll. Medic. Londin. Membrum & Medicus turmæ Cœruleæ in Claſſe Regia, qui An. 1696. Londin. librum edidit, ſive *Recenſionem Naturæ, Cauſarum, Symptomatum & Curationis morborum, qui navigantes ſolent corripere, cum Obſervationibus circa Diætam Claſſiariorum Regiorum; quibus Illuſtrationis gratiâ acceſſit Hiſtoria quorundam morborum in Claſſe Regia primâ æſtate obſervatorum,* referentibus hæc Clariſſ. Actor. Erudit. Collect. An. 97. menſ. Decembr. p. 549. it. anni ſeq. 98. p. 523. Sed cum liber iſte Anglicô idiomate conſcriptus, nec in

 Latinum

Latinum translatus sit, nedum hic locorum haberi possit, imò prædictus Auctor præcipuè de Morbis Marinis, qui altas jam radices in sanguine egerunt, de Scorbuto scil, Febribus, Diarrhœa, Gonorrhœa &c. agat, neque hic in labore nostro nos adjuvare quicquam potuit. Duo insuper Chirurgi Batavi Abraham Lenertsz Vroling & Johannes Verbrigge duos Tractatus; ille quidem Matroosen Gesontheyt, hic autem Zee-Chirurgie linguâ suâ ediderunt, plurima verò Chirurgiam in mari adhibendam spectant, & in commodum novellorum Chirurgorum sunt conscripta. Atque ita:

Apparent rari nantes in gurgite vasto,

Seu pauci ac rari existunt de Morbis Navigantium Scriptores, testantibus id vel ipsis Excellentiss. Collector. Act. Erudit. l. c. Interim cum rara sæpius sint chara, raritas hæc & nobis charitatem ac desiderium conciliavit, in morbum minus charum ac desiderabilem navigantibus singularem inquirendi, ejusque Naturam, causam ac Curationem perscrutandi.

§. II. Antequam verò hæc perficiamus, more receptô quædam de Denominatione nostri affectus (cum nominis natura pervestigata sæpius in rei notitiam deducat) præmittere placet. Appellatur autem in rubro MORBUS MARINUS Germ. Die See-Kranckheit seu Morbus Navigantium (præsertim primâ vice) Die Schiffs-Kranckheit derer zur See sonderlich zum erstenmahl fahrenden Leute/ belgicè de Seesieckte Speciale nomen hujus affectus non occurrit, sed plerumque sub Nausea vel Vomitu comprehenderunt. Nos præ Nausea & Vomitu hominum terram continentem incolentium peculiare quid obtinere putamus, atque hinc singulare nomen eidem imponere licentiam nobis sumere detrectavimus quidem, interim ad Anorexiam seu Ventriculum depravatum, potius imminutam actionem ventriculi quodammodò referri posse nulli dubitamus. Daniel Ludovici in Pharmacia moderno Seculo applicanda Dissert. I. p. m. 475. malaciæ nomine hunc affectum insignire videtur, quando Salis Quorundum contra Malaciam navigantium mentionem facit, per Sal illud Quorundam Sal peregrinantium Joh. Hartmann. in Praxi Chymiatr. p. m. 106. intelligi ex Ettmull. Comment. Ludovic. Tit. XVIII. T. 1. p. m. 1179. constat. Hartmannus autem l. c. in Cap. de Nausea de Vomitu navigantium loquitur, quem Ludovici Malaciam nominat. Illustr. Baco Baro de Verulam. Malaciæ etiam in mari meminit Oper. p. 449 §. 13. in Hist. Venti, non verò morbum, sed tranquillitatem maris intelligit,

telligit, utpote pro qua propriè & ſæpius vox Malaciæ ſumitur ut apud Jul. Cæſ. Lib. 3. de bell. Gall. p. m. 55. aliosque. Plin. tamen H. N. Lib. 28. c. 7. p. 402. mentionem quoque injicit malaciæ ſtomachi, per hanc verò languorem cibos faſtidientem intellexiſſe eum Faber in Lexic. ſub. Voc. Malac. autumat. Non bene autem Malacia dicitur, cum hæc in accuratiori ſignificatione ſit appetitus depravatus & quidem ciborum vel crudorum vel eô tempore non habendorum ſecundum Waldſchmid. Inſtit. Med. Rat. p. m. 100. vel appetitus nimius rerum uſualium ſecundum Ettmull. Coll. Pract. T. II. p. 48. Quamvis generaliter etiam à Medicis antiquioribus ſumatur pro Pica ſeu appetitu rerum inedilium ac incongruarum, cujus inſigne ac rarum exemplum ante annum & quod excurrit Excellentiſſ. Dnus. Præſes nullâ non obſervantiâ æternum colendus habuit in viro in lata Platea Steindammenſ. habitante Koſlantzky dicto, qui tantâ aviditate cretam ac arenam ad littus hocce ſæpius devoraverat, ut Cachexiam tandem ac Aſcitem lethalem ſibi contraxerit, argumento ſatis validô contra Helmont Lib. magn. vuln. Curat. p. 730. n. 162. quod affectus hic Pica ad Uterum præciſè non ſpectet, cum hic vir, ni herma phroditus forſan fuerit, certè uterô caruerit. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Clariſſ. Bruno in Caſtello Renovato ſub voce Nauſea p. m. 620. navigantibus familiarem conatum ad vomitum propriè Nauſeam ναυτίαν vocat. Conf. Corvin. Font. Latinit. p. m. 428. At verò cum nauſeam ſeu conatum ad vomitum vomitus ipſe ſæpius inſequatur, imbecillitas inſuper virium ac totius corporis torpor imò lipothymia ac Vertigo accedant, nauſeæ vox morbi marini eſſentiam non exhaurit. Quamobrem generaliter morbi marini voce affectum noſtrum indigitare voluimus, quia marinum æquor ſulcantibus maximè convenit, non quidem quod alios in fluminibus interdum navigantes nunquam corripiat, cum cauſam ſuam ſæpius aſpectum fluctuum aquæ & in aliis fluminibus undulantium vel concuſſionem corporis fluctuatione navis agnoſcat, ſed cum mari navigantes omnium maximè & primò moleſtet, utpote in quo plures cauſæ huc contribuentes concurrunt, porrò non quemvis morbum marinum ſeu in mari contingentem, præſertim Scorbutum intellectum volumus ſed reſtringimus, & illum ſaltem intelligi dicimus, qui noviter maris altitudinem dimetientes adoritur.

§. III. Ecquid igitur corripit primâ vice navigantes, ſeu quisnam morbus eos infeſtat? Ex Symptomatum & Signorum ſerie id percipiemus.

Afficit eos appetitus imminutus ni abolitus, ac ſingulare faſtidium ciborum ſive nauſea, vomitus, anxietas circa præcordia, Cephalalgia, Vertigo Scotomia, imbecillitas virium ac torpor totius, imò lipothymia interdum gravior ac Diarrhœa, vigiliæque immoderatiores, ita tamen, ut unum præ altero huic vel illi magis familiare ſit, graviusque affligat. Atque hæc omnia ex malè affecto ventriculo proveniunt, quamvis haud raro in ſanguine ac Spiritibus jam egerint radices. Ex his ſequentem damus definitionem ſi non exactam, deſcriptionem tamen aliqualem: *Morbus marinus* eſt diſpoſitio præter naturam ventriculi, ſanguinis ac Spirituum, ex inconſveta vivendi ratione, effluviis maris, aſpectu agitationis ejus, motuque navis corpus navigantium hinc inde agitante proveniens, ac præſertim in nondum aſſvetis defectum appetitus ciborum, nauſeam, vomitum, anxietatem, torporem totius viriumque imminutionem, Cephalalgiam, Scotomiam non nunquam fluxum ventris ac Vigilias nimias imò animi deliquium producens. Hic in Compendio Definitionem, Subjectum, cauſas ac Symptomata, quæ ſignorum vices ſuſtinent, affectus propoſiti ſiſtimus, ulteriusque ea ſingulatim inveſtigabimus, priusquam autem pergimus, an morbus vel Symptoma noſter affectus dici debeat, diſpiciendum eſt. Licet equidem allotria, ſuperflua ac inutilis planè hæc diſquiſitio à quibusdam æſtimetur, attamen in theoria diſtinctè tradenda utilem imò & in praxi interdum obſervandam eſſe, ratione & exemplis comprobavit Excell. Dnus. Præſes in Coll. MSto Inſtit. Med. dummodò abuſus tollatur. Ad ſymptoma ſcil. redigi poſſet hic affectus, & quidem actionis læſæ mixtæ, imminutæ ac depravatæ, vel etiam excretorum ac retentorum læſorum, quatenus mala diſpoſitio ventriculi malè affectis ſanguini ac Spiritibus ut morbis intemperiei tanquam immediatus eorum effectus ſupervenit; ſed quatenus per ſe & primò lædit actionem ventriculi aliarumque partium, ut intemperies vel turbata mixtio ſanguinis, meritò Morbus ventriculi ſalutatur. Diverſus hinc reſpectus affectum quendam præter naturalem & morbum & Symptoma facit.

§. IV. Genus poſuimus Diſpoſitionem præter naturam, in hoc ſecuti ductum Clariſſ. Brunon. in D. M. G. p. m. 110. qui morbum in genere definit Diſpoſitionem præter naturam actiones primariò ac evidenter lædentem. Quid per diſpoſitionem præter naturam intelligatur, ibid. videri poterit. Diſpoſitionem hanc malam reſtringimus ad ventriculum, cum hic primariò ac maximè lædatur, quod ex Symptomatibus Nauſea

&

& vomitu &c. innotescit: dein ad sanguinem & Spritus, qui insimul læduntur, quod scotomia, imbecillitas virium, torpor ac lipothymia probant. Subjectum igitur maximè ventriculum, dein sanguinem & Spiritus statuimus, quanquam hi & Causarum nomine venire possint, diversus enim considerandi modus hic omne contradictionis periculum tollit. Ventriculo nominato non excludimus adjacentes partes, præsertim orificia ac oesophagum, uti, nec ex sanguine serum exterminamus, ut quæ simul læduntur, noxasque patiuntur. Sed perve stigemus Statum naturalem harum partium affectarum, antequam Causas attingamus, ut eò melius Symptomatum illos afficientium modum posteà explicemus.

§. V. Ventriculus in medio quasi corporis in epigastrio inter hepar à dextra parte, lienem à sinistra, intestina ac pancreas ab inferiori, ac statim sub Diaphragmate à superiori parte jacens, intrinsecus instar frontis senilis rugosus, extrinsecus instar tibiæ utricularis figuratus ac oblongus est, ita tamen, ut in sinistro latere satis, in dextro minus globosus deprehendatur. Superius Oesophago, inferius intestinis continuus est, ita, ut hæc cum reliquis intestinis unum continuum ductum constituant, per quem velut per canalem anfractuosum alimenta ab ore ad anum usq; pertransire possunt. Dividitur autem in fundum ac orificia. Fundus est tota globosa & oblonga orificiis inter- ac subjacens pars. Orificiorum verò in suprema ventriculi regione sitornm alterum superius melius sinistrum, cibum admittit, alterum inferius, melius dextrum dictum, cum sibi παραλλήλως jaceant, cibum emittit. Superius sive sinistrum ostium in specie Stomachus vel Cor sive καρδία vocatur ob summam sensibilitatem, qua prædictum est, proficiscentem ab insigniori plexu nervorum paris vagi, quoddam quasi reticulum, quô totus orificii ambitus obducitur constituentis; præterea fibris carnosis circularibus gaudet, quarum ope constringitur, vaporumque immoderatum ascensum impedit, iterumque faeilè panditur ac dilatatur ad cujuslibet boli vel haustus accessum. Animæ sedem in eo collocat Helmontius. Dextrum sive inferius ostium Pylorus dictũ à dextro ventriculi latere cũ antro capaci & oblongo sensim angustato in foramen parvum desinit, indeque retortum in duodenum continuatur. Tunicæ hic multò crassiores quàm in aliâ quavis ventriculi parte tres uti etiã in Oesophago ac Ventriculo existunt, has nunc perspiciendas habemus, ut eò melius motum naturalem ventriculi ac præternaturalem sub vomi-

tu

tu item nauſeâ modum exponamus. Trium tunicarum ventriculum conſtituentium extima communis dicta à peritonæo hujusque parte Diaphragma inveſtiente certô reſpectu ortum ducens, fibras habet quaſi nerveas et ex parte tendinoſas per longitudinem ſtomachi excurrentes, & juxta varium protenſionis ambitum breviores aut longiores, nec non magis rectas vel obliquas, hæ fibras carneas ſubjacentes ad angulos rectos ſecant, illasque colligendo quaſi in ſuo ordine firmiter detinent, roburque ventriculo vaſisque tutelam largiuntur, atque ita hæc tunica commune integumentum ventriculo communicat. Secunda Mediaque Tunica propriarum prima Carnoſa dicta triplici fibrarum robuſtarum carnearum motricium ſerie conſtat, quarum prima exterior in tunicæ hujus ſuperficie exteriori convexa à fundo & lateribus ventriculi exorta ad planum ſuperius jugum ventriculi dictum definit, & contracta fundum elevat, circulares hæ fibræ ſunt dicendæ: Altera ſeries fibræ longitudinales, ac tertia fibræ obliquæ dicendæ, in inverſo demum ventriculo poſt remotionem tunicæ nerveæ cum cruſta villoſa ac glandinoſa conſpiciendæ veniunt, longitudinales à ſiniſtra ad dextram ventriculi regionem per jugum lineis rectis Pylori antrum aggrediuntur & ingrediuntur, obliquæ utrinque per latera ventriculi obliquè demittuntur, ac in fundo conveniunt, hæ dum à dextris ſuis extremitatibus corrugari incipiunt (conſpirantibus & aliis fibris) deorſum commotæ, ventriculi globum ſiniſtrum verſus fundum & pylorum inclinant, atque contenta ventriculi in inteſtina egerunt, quodſi verò ab extremitatibus earum ſiniſtris ſpasmi inchoëntur obliquè ſurſum contractæ eundem fundum cum globo dextro ad orificium ſiniſtrum movent, ac ad vomitum diſponunt, & per gulam eliminant; ille autem motus ſolum naturalis, hic verò præternaturalis jure eſt dicendus. Tertia ac intima Ventriculi tunica propriarum altera nervea dicta ex filamentis nerveis rectis perpendiculariter intextis componitur, vaſorumque ſanguiferorum extremitates recipit, ac quàm plurimis rugis plicisque ob amplitudinem ſuam præ carnoſa tunica multò majorem formatis in concava ventriculi parte conſpicuis gaudet, in quibus eò diuturnior alimentorum ob meliorem coctionem detentio eſt, imò ſulci hi portiones chyli hic illic tenuiter diſperſas retinent, ne in maſſam ſpiſſiorem confluant. In Bibonibus hæ rugæ extenſæ, ac ventriculus inſtar veſicæ inflatus ob nimiam ac crebram ingurgitationem apparet. Tandem velô quodam ſeu cruſtâ villoſa ſeu mucilaginoſâ glandulis copioſis referta

ventri-

ventriculus obducitur, quam nonnulli pro quarta ventriculi tunica glandulosa sive villosa habent. Hæc omnia oculariter demonstrari possunt ventriculô quôdam animalis inflato, ac aliquoties in aquam ferventem demisso, ut fibræ contractæ intumescant. Vasis insuper sanguiferis arteriis & venis quàm plurimis uti & nervis gaudet ventriculus. Lymphatica Vasa per ventriculum discurrentia, inque glandulam inter pylorum & stomachum sitam inserta Rudbeckius ostendit, quæ tamen Glissonius ipsi denegat, venasque lacteas substituit C. 3. de Ventriculo §. 7. 8. Nuckius autem in Epist. de inventis novis Adenograph. curios. adjectâ p. m. 145. ex superiori ventriculi parte oriunda observavit lymphatica. Hæcque de Ventriculo ex præstantissimis Auctoribus Willisio in Pharmaceut. Ration. Sect. I. C. 2. p. m. 4. seq. Blancardo Anatom. reform. part. 2. c. 20. p. m. 13. seqq. in quem merentur legi Castigationes Dni. Verheyen in Animadversionibus in Anatomiam Blancardianam Anatom. Corpor. Human. annexis. It. Barthol. Anat. renov. Lib. 1. c. 9. Stephan. Chauvin. Lex. Ration. sub voce Stomachus sufficiant. Cum verò & Oesophagus per consensum lædatur in nostro affectu, in textura substantiæ ejus ex tribus tunicis iisdem ferè cum Ventriculi tunicis compositæ retexenda consule Willis. cæterosque Auctores modò citatos.

§. VI. Ventriculus igitur hic malè constitutus ac vitiosus in nostro affectu sese habet, quod evincunt symptomata ceu in oculos incurrentia signa: Appetitus scil. dejectus, nausea, vomitus, anxietas præcordiorum seu Cardialgia &c. qui affectus propriè ventriculo adscribuntur. In statu naturali enim ventriculi continuò per arterias gastricas liquor apportatur secernendus per tunicam intimam glandulosam dictam (in §. anteced. expositam) hic liquor cum Spiritibus per copiosos ventriculi nervos deportatis, salivâ deglutitâ, imò reliquiis ciborum conjunctus fermentum ventriculi acidiusculo- salinum constituit, quod gratâ ac moderatâ suâ acredine superius os ventriculi fibrillis nerveis contextum (vid. §. præced.) vellicat, quô motu Spiritus in nervis commoti ad cerebrum ceu sensorium commune deferuntur, atque menti ideam famis offerunt, ubi cerebri incolæ in indifferentia positi per nervos palato ac labiis dicatos excurrunt ad os ad exsequendum munus actui huic destinatum, atque ille motus ad cerebrum continuatus solidorum infert desiderium seu appetitum ciborum. Quamdiu igitur fermentum hoc ventriculi in quantitate, qualitate ac motu bene se habet, appetitus integer adest, sed quàmprimùm vel deficit, vel fixum

 nimis

nimis ac viſcidum vel fatuum ac activis principiis ſive Spiritibus exhauſtum, vel acrius juſtò ac acidius fuerit, appetitum vel deficientem abolitumve, vel vitioſè auctum vel depravatum infert. Cum autem & in noſtro affectu appetitus ſit dejectus, fermentum ejus vitioſum præſertim viſcidum ac acre erit, ut ex ſeqq apparebit. Præterea Ventriculum affectum arguunt Nauſea & Vomitus; illa enim non quidem laxatio orificii ſuperioris eſt, ut Veteres voluerunt, ſic enim facile cibi ſurſum truderentur ac aſcenderent, ſed potius nimia ejusdem ſtrictura ac contractio, ab humore acri in ventriculo contento producta, ſub qua & pylorus ſimul irritatur, ut vomere velint, ſed non poſſint, cum ſtomachus ſit contractus. At ſi irritatio continuat, tandem pylori contractio fortior prævalet, ſtomachus ſive ſuperius os ventriculi laxatur, ac per vomitum contenta eliminantur, quæ contractio præcipuè carnoſarum fibrillarum ope (vid. §. anteced.) cum ſorores ipſarum nerveæ ante fuerint irritatæ, contingit. Præcordiorum item dolor ſeu Cardialgia ac anxietas itidem ex fermenti ventriculi acredine ſuperius orificium rodente, vel viſciditate flatus generante ac ventriculum diſtendente provenit, ſicque affectum ventriculum demonſtrat. Quod verò ulterius & ſanguis & Spiritus patiantur ſub hoc affectu, ex torpore totius corporis ac imbecillitate, Cephalalgia, Vertigine it. lipothymia innoteſcere planum eſt, niſi eorum ſtatum præternaturalem ſub Cauſis antecedentibus conſiderare animus eſſet.

§. VII. Cauſam Proximam ac Immediatam noſtri affectus defectum vellicationis debitæ fibrillarum nervearum ventriculi, præſertim ſuperioris orificii, ſed inſimul præſentiam acredinis fibras dictas irritantis ad moleſtam excretionem; Cauſam materialem verò fermentum viſcidum fixum ac acido-ſalinum ſeu acre ſtatuimus. Novimus quidem, quod aliàs Cauſam nauſeæ, Vomitus, Diarrhoeæ &c. plerumque materiam bilioſam Auctores ſtatuant, hancque interdum & in noſtris navigantibus eſſe non inficiamur, unde etiam fluxu ventris ſæpe tentantur, aſt ex aſſumtis navigantium colligitur, quod illa ad pituitam viſcidam, fixam, acrem generandam magis apta ſint, hincque viſcidum acidumque humorem potius quàm bilioſum noſtri affectus Cauſam ſtatuimus. Atque hoc pacto fermentum viſcidum acre Cauſæ proximæ mediatæ ſeu antecedentis vicem gerit, ſi ab aſſumtis cibis vel unà deglutitò aëre ut cauſis procatarcticis affectum oriri præſupponimus. Aſt ſi Cauſas procatarcticas primùm egiſſe in ſanguinem & Spiritus concipiamus, hi Cauſæ mediatæ proximiores ſeu

ante-

antecedentes erunt, atque fermentum ventriculi vitiosè ſeſe habens Cauſa proxima immediatè afficiens erit ſtatuminanda. Fieri enim poteſt, quod inconſvetus ille variis heterogeneis effluviis impraegnatus ex Salo aſcendens aër unà cum cibis vel ſalivâ deglutitus liquorem gaſtricum immediatè inficiat, vel inſvetus ex variis duris viſcidis, aſellis arefactis, fumo ac ſale conditis carnibus conſtans cibus in ipſo ventriculo conſtitutus ſtatim concoctricem ejus ſuccum corrumpat, atque viſciditate & acredine ſua ſalſa eundem ſimili charactere denotet, viſciditas ſpicula ſalina involvet, abſcondet, enervabit acidiuſculo- ſalinam qualitatem fermenti, ut inappetentia inſequatur. E contrariò peregrina acido- ſalſa acredo ſui juris facta vid. in fr. ſtimulabit ac moleſtè irritabit, ut excretio præternaturalis oriatur. Atque ſic tùm proxima tùm antecedens in Ventriculo quærendæ erunt Cauſæ. Aſt ſi Cauſarum procatarcticarum vitium ad intimiora jam perreptaverit, atque in ſanguine & ſpiritibus radices egerit, hi ut Cauſæ mediæ inter remotas ac proximas ſunt habendæ. Cauſarum verò harum antecedentium ſtatum naturalem conſiderare placet, quò eò melius, quomodò præternaturaliter afficiantur, concipiamus.

§. IIX. Sanguis nectar illud vitale, in quo animam brutorum reſidere Scriptura aſſerit Levit. XVII. 11, 14. Deuteron. XII. 23. maſſa quidem homogenea dum intra vaſa circulatur, videtur, aſt ſi penitius examinetur, maximè heterogeneum fluidum apparet. Non equidem quatuor illos Veterum decantatos humores advocamus, nobiliſſimoque huic ſucco vindicamus, ſed eos, ceu veritatis ſole jam diu diſſipatos hic exulare jubemus, potiusque ad multò ſimpliciora ac ſubtiliora attendimus. Ex duplici verò liquore tanquam partibus integralibus, colore, figurâ ac conſiſtentia inter ſe differentibus ſanguis eſt coagmentatus: Serô ſcil. ac Cruore. Illud latex, lympha, aqua ſanguinis it. ſanguis albus à Barbato in Diſſ. de Sanguine & ejus Sero p. m. 24. vocatum hunc, ſeu ſanguinem rubicundum, ut parvos globulos rubicundos innatantes in ſe continet ſecundum curioſa per microſcopia examina Oculatiſſimi Lœuwenhœcks Vid. Act. Med. Th. Barthol. Vol. III 3. & Bohn. Circ. Anatom. Progymn. XIII. p. 190. atque pro nutritione omnium partium corporis noſtri ſufficit, & partim gelatinoſitate ſuâ partibus nutrimentum ſuffarcit ac incrementum conciliat, partim aquoſitate ſuâ Mæ. Sæ. debitam tenuitatem reſtituit, ut per tot mæandros liberè currere, ac tàm minutiſſimos poros penetrare poſſit. Utraque autem hæc pars ſimul ſumpta ex multis ſimplicioribus particulis componitur. Diemerbrœck Anat. Lib. 2. C. 12. p. 418. Sulphur, Sal, Mer-

 curium,

curium, Serum, Sal craſſum ſanguini ineſſe ſcribit. Illuſtris Boyle idem pretioſiſſimis experimentis demonſtravit in Apparatu ad Hiſtor. Natur. Sangu. Human. aliter ſaltem, ſcilicet Spiritum, oleum ſ. Sulphur, Sal, Aquam, terram nominat. Williſ. de febr. C. 1. p. 67. Bohn. l. c. his ferè gemina habent. Excell. Archiater ac Conſil. Noſtri Sereniſſimi D. D. Albinus in diſſert. de Pravit. Sangu. Senarium numerum præfert, ſcil. Sal, acidum, aquam, oleum, viſcidum, terreſtre, horumque exiſtentiam ac diverſitatem prolixiuſcule l. c. diducit. Diſcrepantiam hanc faciliime ſi mens foret, conciliare poſſemus, cum re ipſâ non diſcrepent, ſed ſaltem denominatione. Aſt ſi dicendum quod res eſt, cum cibus potus ac aër indefinitâ minimorum corpuſculorum farragine indies noſtrum reficiat ſanguinem, & ex diverſâ mixtura variaque fermentatione iſtorum corpuſculorum variæ iterum reſultent particulæ, certè apodictice à priori oſtenditur, ſanguinem variarum particularum, magnitudinum ac figurarum eſſe colluviem ut appoſitè dicit Cous in Libr. de Priſc. Medic. *Ineſt in homine & amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum & inſipidum aliaque ſexcenta &c.* Imò hoc ipſum prolixè à poſteriori ex particularum à ſanguine excretarum, varioſque humores conſtituentium bilem, pituitam, lac, ſalivam, cerumen &c. diverſitate oſtendi poſſet. Hæ autem particulæ, licet inter ſe maximè diverſæ, adeò aptè tamen in ſtatu naturali inter ſe ſunt configuratæ, ac una alterius poro eſt accommodata, ut unum homogeneum liquorem Sanguinem dictum conſtituant, qui duplici præterea motu gaudet, alterô inteſtinô ſeu fermentativo, ubi particulæ dictæ variè inter ſe ſubſultant, elevantur, deprimuntur, rotantur & circa axim moventur; alterô circulatoriô ſeu Progreſſivô, ſub quô tota maſſa ſanguinea ad omnes totius corporis partes per arterias abit, ac per venas iterum indeſinenter redit. Mediante hoc motu per ſingulares poros partium omnes ſecretiones ac excretiones quæcunque ſint, in corpore inſtituuntur, variique inde humores bilis, ſuccus Pancreaticus, fermentum ventriculi, ſerum, lac reſultant, qui eandem quoad bonitatem vel pravitatem cum ſanguine, ex quo fuerunt ſecreti, habebunt naturam. Quodſi enim mixtura ſanguinis quoad particulas turbata fuerit, hancque vel illam qualitatem noxiam contraxerit, eandem malignitatis notam humoribus ſecretis imprimet. Quod idem innuit Hippocr. l. a. *At ubi horum* (corpuſculorum ſanguinis) *aliquid ſecretum fuerit & ſeorſim exſtiterit, tùm & conſpicuum fit, & moleſtiâ afficit.*

§. IX.

§. IX. Motores tandem corporis nostri Spiritus animales (quorum existentiam negat Backius de Corde Cap. 2. à p. 64. ad 80. Tauvry in Anatom. nov. p. 300. seq. alibique. D. Stahl Prof. nunc Hallens. famigeratissimus in Diss. de Sanguificatione, sed probat Plemp. in fundam. Medic. Lib. 2. Cap. 3. p. 122. & alibi passim. Ettmull. in Disput. Parv. magnorum morborum initia, Bohnius Circ. Anatom. Physiol. Progymn. XIX. p. 205. Rivinus in Dissert. de Spiritu Vitali, Christianus Vaterus Prof. Witteb. in Diss. de Spirituum animalium existentia & motu in nervis) ex subtilissimis ac maximè nobilibus sanguinis nostri arteriosi portionibus intra corticalem cerebri partem sequestrantur, in medullari reservantur, ac per nervos ad omnes totius corporis partes pro motu ac sensu communicando amandantur, quod munus etiam fideliter exsequuntur, si subtiles satis ac in debita quantitate adfuerint, nec in viscido incarcerati, vel aliis inquinamentis defœdati fuerint, sic enim variarum ægritudinum causæ existunt, imò unica ferè causa morborum à Wurdigio in Medic. Spirituum Lib. 2. Cap. 1. statuuntur. Trium vel quatuor generum Spiritus corpoporis nostri esse putaverunt quondam Antecessores nostri, Vitales, Animales, Naturales, Genitales. Sed Parentalibus jam institutis hepatis functioni sanguificatoriæ Naturales evanuêre; rejecerunt etiam eos jam Manardus & Sanctorius Part. 2. Comm. in art. Pharm. it. Francisc. Vallesius in Controv. uti ex Plemp. Fundam. Medic. Lib. 2. C. 5. p. 130. constat De Spiritu Vitali jam inquit Galenus Lib. 12. de Methodo medend. C. 5. eum non æque evidenter demonstrari posse quàm animalem: Neque nos necessarium eum uti distinctum Spiritum statuere putamus, cum enim sanguinis formam nunquam deponat, sed secundum mentem eorum subtilissimum sanguinis sit, ac cum eo circuletur, quare ergò Spiritus nomen ei attribuimus? præsertim cum ad sensum & motum nihil contribuat. Genitalē in testiculis elaborari crediderunt, cum autem & hic nil nisi purissimum semen ex sanguine tenuissimo ac Spiritu animali compositū quid existat, neq; eum ab animali Spiritu distinctum concipere opus est. Restat itaque solus Spiritus animalis, functiones Spirituales omnes in corpore nostro perficiens, sensumq; ac motum partibus concilians, hicque Spiritus unus idemque semper per corpus agitatur & hoc agitat, licet duplici, triplici imò quadruplici nomine ejus differentiam conentur explicare plurimi secundum Clar. Bohn. l. c. p. 320. Quæritur autem *an hic Spiritus animalis aërem ut nu-*

 trimen-

trimentum suum agnoscat? Variè de hoc disceptatur ab Auctoribus in diversas hic abeuntibus sententias, sed verior videtur illa quæ astruit, Spiritus animales utique non solùm ex sanguinis & seri portionibus subtilissimis sed & aëris quibusdam particulis constitui, & hinc quasi nutriri, non ex omnibus sed certis saltem proportionatis ac subtilibus, quod verò aër per nares attractus immediatè pertingat ad cerebrum, Spiritusque componat, negat B. Ettmull. Diss. de Respir. T. II. p. 1868. it. Excell. Bohn. l. c. p. 316. seq. aliis licet adstruentibus.

§. X. Considerato naturali statu sanguinis ac Spirituum, quomodo præternaturaliter in nostro affectu constituantur à causis remotis, & postea causam proximam inquinent, dispiciamus. Quodsi itaque sanguis in quantitate, qualitate ac motu ritè sese habuerit, sanitas sarta ac tecta manet, quodsi autem Ma. Sea ab una vei pluribus rerum non naturalium inquinata ac defœdata fuerit, mox inde varii propullulant morbi. Non jam aliorum morborum catalogum contexam, sed nostri saltem morbi marini ætiologiam proponam. A variis scil. Causis externis corpora in navi existentia afficiuntur in §. seq. recensendis. Hæ enim alienas peregrinas sanguini inferunt particulas, quæ partim augendo heterogenearum particularum copiam, partim vitiose effervescendo secundum minima mixtionem sanguinis turbant, & cum istæ imprimis salinæ fixæ ac viscidæ naturæ sint, eodem modò sanguinem viscidum, salsum, fixum reddunt, unde motus ejus torpidior, secretiones difficiliores, ac liquores à sanguine secreti eâdem visciditatis, acredinis ac fixitatis maligniori notâ insigniuntur, per consequens liquor stomachalis ex sanguine proveniens eandem qualitatem noxiam secum vehit, & postmodùm nauseam, vomitum anorexiam ventriculo conciliat, sic & Spiritus cum à sanguine separari §. præced. audiverimus, vel non sufficienter generantur, vel generati eodem charactere morbosò notantur, vel in motu suò ob visciditatem particularum impediuntur, vel acredine irritati carceres effringunt quidem, sed inordinatè ac impetuosè erumpunt, ac quâ datâ portâ anomalos edunt motus, unde irruentes impetuosè in fibras ventriculi, nauseam ac vomitus, interdum fluxum ventris; aut torpidi, torporem membris imprimunt aut non sufficienter generati & hinc in defectu peccantes, virium prostrationem, lipothymiam efficiunt, imò ad ventriculum non satis copiosè properantes, apepsiam, Anorexiam ac languorem ejus producunt.

§. XI.

§. XI. Causæ Remotæ s. Procatarcticæ sunt res non naturales dictæ, inter quas primum locum sibi meritò vendicat ad vitam simpliciter necessarius aër, utpote sine quo nec per quadrantem horæ lucis usurâ frui licet homini, hic maximus auctor molesti nostri affectus existit. Marinus enim cum sit, maris quoque exhalationes crassas, acres, nebulosas, imò ex parte salinas aliisque inconvenientibus corpusculis inquinatas communicat homini, quæ partim fermentum ventriculi obtundunt ac corrumpunt, partim acuunt ut rodat ac irritet fibras ventriculi ad molestum desiderii imò excretionis ipsius sensum. Aerem verò ejusmodi particulis scatere, præprimis acris, corrosivus, viscidus ac scorbuticus maris accolarum ostendit sanguis, it. quàmprimùm saltem marini ægri mutant aërem ex alto salo exspirantem, atque continentis terræ ora attingunt, ejusque aëre puriore exhalante frui possunt, statim melius sese habent teste Ysbrantsz Bontekoe Lib. in prooem. cit. passim, imprimis p. m. 5. 6. *de siecken uyt haer koyen kruypen, en wouden gaern aen Landt wesen, en stonden alaen, dat man haer aen Landt soude brenghen, want sy de lucht in de neus hadden, seggende: Waren wy aen Landt wy waren halfgesont --- Aen Landt wesende, kroopen sy by malkander in t' gras en seyden, wy voelen alreedts beterschap,* -- pag. 8. post aliquot dies *quamen die ghene die wy sieck aen't Landt hadden geset al-te-mael wederom by ons, gesont en fris zynde:* &c. Acredinem hanc aëris marini scorbutum hinc generantis (non exclusis aliis causis) demonstrant insuper symptomata illorum, qui diu mare inhabitant quasi: frigidior si accedat aër, eò pejor erit navigantibus, hic enim transspirationem inhibens, cumulat acerrimas in corpore stabulantes particulas, ut postmodùm intestina ac pulmones erodant, ac ingentes cruciatus artuum ac abdominis, hæmoptysis ac dysenteria insequatur. Innuit hoc Journael van de Personen die op Spitsbergen in t' overwinteren ghestorven zyn d. 7. februar. 1635 *konden sy de eene Voet voor den ander niet setten, noch gheen Broodt byten, hadden vresselycke pyn in de Lenden en t' lyf, en hoe quader weer, hoe slimmer; de eende spoogh bloedt; de andere loosde bloedt door de Stoelgangh.* Calidior aër corpus solvit, vires infringit, Spiritus dissipat (in mari enim heu! ut Ovid. canit.

Hic modò frigoribus premimur, modò solvimur æstu.)

Humidior aër præsertim cum excessu frigoris, qualis in mari, plerumque cruditatum ac flatulentiæ auctor existit, Spirituum activitatem impedit,

rheu-

rheumatiſmis ac catarrhis variis anſam præbet, ac διαπνοὴν ἀναίσθητον infringit, unde facile ſymptomata navigantium deduci queunt. Dein piceus navis odor ingratus & cœteri in navibus occurrentes ac nares ferientes odores anomaliam talem in ventriculo ac Spiritibus efficiunt, ut excretio præternaturalis inſequatur. Et hoc non mirum: ſolus odor purgantis vel emetici ἄνω καὶ κάτω purgare poteſt, uti aliquot exempla novit Experientiſſ. Dominus Præſes hic Regiomonti, qui ſaltem miſturam medicamenti purgantis aſpiciunt, vel odorem ejus ſibi attrahunt, moxque alvô moventur. Conf. Schenck. Obſ. L. 3. Obſ. 4 p. 401. Panaroll. Pentec. 4 Obſerv. 28. quidni igitur odor picis, axungiæ, olei aliarumque rerum, præſertim exhalationes epibatarum hæc incommoda excitarent. 2.) Cibus & Potus. Cum vitam noſtram eodem ſuſtentare, ac quotidie exſpirantes particulas reſarcire opus habeamus, quantitate ac qualitate vitioſi affectum noſtrum producere valent, ita ut dicamus, hæc duo: alimenta ac aërem inſveta primarias eſſe cauſas morborum navigantium præſertim non aſſvetorum. In quantitate enim peccat cibus, dum navigantes multò plus edunt itidem ob aërem ſalinum, fermentum acrius concilians, quàm in continente, hinc copiâ ciborum obruunt ventriculum, ut ritè coquere nequeat, unde viſciditas ac corruptio ejus. In defectu autem ſi cibus adfuerit, Spirituoſæ ac volatiles particulæ ſanguinis quotidie quidem defraudantur, cum verò nulla reſtitutio ex gelatinoſis chyloſisque partibus, neceſſariò omnes ſucci craſſiores, viſcidiores ac acriores fiunt, unde anorexia, vomitus, imbecillitas virium, lipothymia &c. Qualitate præſertim ſuâ navigantium cibus eos corrumpit. Ecquis enim eſt quô utuntur? Certè in paulò diuturniori itinere recens cibus facilè conſumitur, hinc plerumque duriſſimis biscoctis, ſale ac fumô induratis carnibus, aſellis arefactis, muriâ conditis halecibus, lardô rancidô, piſcibus marinis, præcipuè præpinguibus ſcombris aliisque ſalſis, craſſis, duris, imò ſitu ac mucore corruptis veſcuntur cibis, qui nihil aliud niſi ejusdem qualitatis generare poſſunt chylum & ſanguinem, unde dicta facilè in ſcenam prodeunt dramata. Potus inſuper plerumque acidus aliove modô corruptus cum ſit, eandem cum cibo ludit tragœdiam. Imò ſi quis aut per inſcitiam aut per intolerabilem ſitim compulſus marinam hauſerit aquam, certè non ſolùm de ſanitate, ſed de ipſa periclitabitur vita, monente citato Bontekoe l. a. p. 17. *Ick ſeyde: Mannen en drinckt*

gheen

gheen soudt Water, want het en sal u gheen dorst verslaen, ghy sult de loop daer van krygen en daer af sterben. 3.) Somnus & Vigiliæ, Motus & Quies prout variè se habuerint aut modum excesserint, multum contribuunt ad morbi nostri exasperationem. Quies enim ac somnus immoderati torporem inducunt sanguini ac Spiritibus, eorumque activitatem maximè destruunt, undè torpor totius corporis, virium lapsus, sensuum habetudo, fermentum ventriculi iners aliaque. Præsertim autem motus immoderatus corporis navigantium insueti à continua motitatione navis ad utramque partem, imò ante & retrò una ex præcipuis causis est, quæ fermentum ventriculi fluctuare facit, Spiritus in anomaliam, inordinatumque motum conjicit, ac per consequens nauseam ac vomitum producit. Sic enim Hippocr. Aphor. Sect. IV. §. 4. *Declarat autem*, inquit, *navigatio, quod motus corpora turbat*; uti videmus, quod ex nimia repentina ambulatione motuque corporis, imò si quis curru vectus citò nimis instituat iter, corpusque suum excessivè motitet, vomitus plerumque insequi soleat. Mirum E. non est, quod idem navi vectis contingat. 4) Excreta aliorum in navi sociorum simul ansam præbent affectui dicto. Si quis enim videt alium vomere, facilè simul ad vomitum invitatur, imò quidam aliorum nauseam saltem animadvertentes simili mox nauseâ tentantur. Amplam hic haberemus occasionem inquirendi in causam, quare hoc fiat, & quare tàm arctus sit consensus inter quosdam, ut affecto uno afficiatur & alter: sed paucis nos expedimus, dicendo: Simili eosdem fibrarum corporis, præsertim cerebri ac Spirituum gaudere tensione ac temperie, ut unius fibris commotis per aspectum aliove modô afficiantur & alterius fibræ, unde similis insequitur affectus, sicut unâ testudinis chordâ pulsatâ, altera quæ huic similis est, & eodem modô tensa sponte sua resonat vel tremit, ut Musicis constat; sic oscitante uno oscitat & alter. Evolv. si placet Francis. Bayle in Probl. Phys. Tandem 5.) inter animi affectus præsertim timor ac terror navigantium symbolum confert ad eorum ναυτίαν aliaque accidentia. Timor enim reprimit Spiritus, ut ordinatè influere nequeant, hinc in se repercussi inordinatum mox motum ineunt, ut quâ datâ portâ sua claustra quidem effringant, ast confusè ac inordinatè (hinc tremor plerumque metuentium artus occupat. vid. Diss. Excell. Dni. Albin. de Affect. animi §. 28.) unde molestè moventes fibrillas nerveas ad contractionem stimulant, excretionesque producunt, uti exemplum verissimum novi in quodam, qui quamprimùm timore corripitur, statim laxiori

alvò vexatur, idque ſemper ſi timor vel anxietas aliqualis præceſſerit. Jam navigantes primâ vice terrore ac anxietate premi, cum videant navim mox cœlum verſus aſcendere, mox ad abyſſum properare, nemo facilè inficias ibit.

§. XII. His Cauſis Procatarcticis annumeranda ſunt: Conſtitutio corporis, ætas, ſexus, regio, Conſvetudo &c. ſub titulo rerum ſecundum naturam quibusdam venientia, quanquam perperam, harum enim tres numerantur, vid. Brun. D. M. G. p. 16. ad nullam autem harum reduci poſſunt; neque ad res naturales, quarum ſeptem olim tradebantur, (ib. p. 13.) pertinent, (niſi ut certæ conditiones partium, humorum ac temperamenti hominis conſiderantur.) *namque nihil aliud ſunt ex mente Cl. Brunonis l. c. p 211. quàm accidentia ſeu attributa conditionem ſubjecti* (hominis,) *ejusque temperamenti diverſitatem exprimentia* (præſertim ætas & ſexus) *undè vis aliqua & cauſandi ratio tribui ipſis non poterit.* Interim demus aliquid auctoritati primi noſtri Medicinæ Parentis Hippocratis, qui magnam ætati δύναμιν & efficaciam in morbis tribuit, it. ſexui uti videre eſt præcept. XII. 7. Lib. 1. de morb. XX. 2. Sint igitur Cauſæ, potius autem propinquæ quàm remotæ dicendæ Brun. ib. cit. loc. Nos tamen hic inſeremus receptæ conſvetudini morem gerentes. Contribuit ergo ad affectum noſtrum. 1) *Conſtitutio corporis,* intemperie Mæ. Sæ. acidâ, viſcidâ alcalicâ aliâque jam ante præditi; textura it. fibrarum ventriculi aliarumque partium tenerior, facilè moleſtæ vellicationi humorum alienatorum aut ataxiæ Spirituum auſcultans, ac ad quemvis ingratum ſtimulum ſeſe criſpans ac movens 2.) *Ætas* juvenilis præ ſenili, quanquam omnis ætas non immunis ab hoc morbo reperiatur. 3.) *Uterque Sexus* tàm dignior quàm ſequior, quanquam hic ob magis delicatum teneriores propter fibras ac infirmiorem conſtitutionem corporis ſenſum magis præ illo obnoxius ſit nauſeæ, Lipothymiæ cæterisque ſymptomatibus. Sic cum Celeberr Dnus. Præſes Hollandiam rectà ex hoc loco peteret navi, nullô vomitu quanquam primâ vice iter illud fuerat, tentabatur, interim maximâ nauſeâ, inappetentia viriumque lapſu, quæ in mari Septentr (auf der Nord-See) iterum recurrebant, laborabat. Sed naucleri uxor, quæ in eadem navi erat, licet jam ante mari vecta fuiſſet, enormibus vomitionibus, imò lipothymiâ corripiebatur. 4.) *Regiones* quædam maximè infeſtæ ſunt, dum ex climatis ſui tractu ejusmodi aërem ac ætherem vehunt, qui navigantes in præſentaneum

neum hunc ac ſimilis generis affectum conjicit, quod & in terra contingit. Sic in urbe quadam ad Sinum Perſicum Gomron ſeu Bander-Abaſſi dictâ menſe Aprili & ſequentibus certus aër imò impetuoſus ventus oritur, qui viatores, niſi ſe in faciem proſternant ac palliô aliôve muniant, ſuffocat ac inſtar fulminis eos urit, ſed in navi conſtitutus nemo licet nudus fuerit, quod memorabile, læditur. Ejusmodi ventus quoq; in India ad urbem Candahar aliisque locis reperitur, ut Dn. Tavernier teſtatur propriô exemplô. Itiner. Perſ. Lib. 5. Cap. 23. p. 300. ſeq. it. Itiner. Indic. Lib. 1. c. 6. p. 24. Sic ſub Linea uti dicitur qui navigant, & ſub certis Climatibus, mox præſentaneis maximisque afficiuntur morbis, adeò ut licet neſciant, ſe ibidem locorum jam eſſe, ex morbis ſuis tamen cognoſcant, ſe lineam jam attingere. Conf. Happ. Rel. Cur. T. 2. p. 90. 91. 5.) *Vitæ genus & ſtatus* quoque non infimum hic obtinebit locum. Sic delicatiori vitæ generi aſſvetus præ illo qui craſſiori, magis obnoxius erit affectui noſtro, ut Princeps præ ruſtico, hinc vita ſedentaria navigantium labore ſe non exercentium ad pituitæ ac muci coacervationem in ventriculo, ſanguinisque intemperiem viſcidam multum contribuit. 6.) Inprimis *conſvetudinis uti* aliàs ſic & hic maxima vis eſt. Aſſveti enim navigationibus non nauſeant, non vomunt, nō purgantur, non vires ſentiunt imbecilles, nō lipothymiâ tentantur, non anorexiam patiuntur, ſed potius multò plus edunt quàm in terra continenti, affirmante hoc Helmont. in tr. Blas human. §. 36. p. 718. it. in tr. Alimenta Tartari inſontia §. 15. p. 235. E contrario navigationi inaſſveti omnibus recenſitis malis facillimè exponuntur. Quarum autem rerum ſunt inaſſveti? Hìc in compendium redigam omnes primarias Cauſas noſtri affectus. Sunt inaſſveti maris exhalationibus ejusque aëris, ſunt inaſſveti cibis durioribus ſalitis, fumo induratis &c. potuique vappeſcenti ac corrupto, ſunt inaſſveti odori piceo navis, ex aliisque rebus in navi contentis exhalanti, ſunt inaſſveti crebræ concuſſioni motuique corporis ſui ex nimia motitatione navis, ſunt inaſſveti periculis ſubeundis in mari ſæpe obviis, ut tempeſtatibus aëris, piratis &c. unde extrema mentis proſtratio ac timor metusve. Imò omnia organa ſenſuum externorum ſunt inaſſveta objectis quibus feriuntur. De ore ac naribus jam dictum. Auditus autem ſæpe fallitur inopinatô clamore nautarum opus ſuum non ſine clamore perficientium, gemitu ac ſtrepitu aliorum ſimul ægrorum, horriſonis maris ac aëris tumultibus. Viſus inter alia plura perſtringitur

variis phantaſmatibus, cujus exemplum de Caligis in nubibus apparentibus legere licet in Happel. Rel. Cur. T. 4. p. 777. ſeq. ſcintillatione it. ſalinorum corpuſculorum circa navim divagantium, afficitur inſuper fluctuatione maris, quæ ſimilem ferè motum per oculos imprimit Spiritibus ut fluctuent, ac in ejusmodi fluctuationem concitent ventriculum, unde vomitum ex aſpectu maris deducit Waldſchmid. Inſtit. Med. rat. p. m. 175. Nec mirum, ſi enim ex aſpectu oculorum lippientium ſimilis lippitudo propriis induci oculis poteſt, ſi ex aſpectu abyſſi ingentis ex altô ponte vel monte vertigo, ſi ex auditu rei horrendæ vel tetræ horripilatio, vomitus aliaque inſequuntur, & ex aſpectu vomitus concitari poteſt; ſub omni viſione quippe oculus & in eo hoſpitantes Spiritus ab Objecti radiis afficiuntur, qui ad cerebrum delati eandem fluctuationem ab Objecto impreſſam ſervant, ibique inordinatè moti ipſam dant vertiginem, vel ad ventriculum fluentes inordinato ſuo ac impetuoſo influxu ad inverſionem ſtimulando commovent.

§. XIII. Ex Cauſis his Symptomata eruamus, dum ſcil. vel immediatè per aërem ætheremque marinum ac alimenta deglutita copioſa, ſalſa, viſcida, acria, acida varioque modô corrupta vel mediatè per ſanguinem ac Spiritus fermentum ventriculi apud noſtros navigantes redditur viſcidum, fixum, muco obvolutum, inprimis ſi fumus nicotianæ ac Spiritus Vini immoderatè hauſti navigantibus frequentes accedant, Conf. Act. Med. Th. Barthol. vol. V. 118. genuina ſtimulatio in ventriculo decedit, è contrario *Inappetentia* accedit. Dein cum partim ab aſſumtis, partim morâ temporis

(*Ut capiunt vitium ni moveantur aquæ.*)

acredinem vitioſam amurca hæc in ventriculo induat, eadem ſtringit, conſtringit, coarctat contrahit fibras ſuperioris oris ventriculi, pylorô non omni ex parte illæſô manente, *unde nauſea.* Sed cum acredo indies imò per horas major ac acutior fiat, convertuntur ſpicula ſalina omnium maximè in pylorum, qui laceſſitus ab ingrato hoc hoſpite ſe liberare laborans, præternaturalem pugnam inire cogitur, hinc cæteras ventriculi fibras in conſenſum adjutoriumque convocans, conjunctis viribus expellere fundere ac fugare hoſpitem inexſpectatum allaborat, dum primò ſe verſus ventriculi orificium ſuperius mox hoc, conſequenter oeſophagi fibræ ab infra ad ſupra, & ſic præternaturaliter ſeſe contrahunt, ſibique ingratam materiam ejiciunt, qui actus dicitur *Vomitus.* Hoc autem ita

certò

certò fieri ocularis experientia Olai Rudbeck. Prof. Svec. in Obſerv. Anat. XX. his verbis docet: *Canis vivus ſectus vomitionis actum palam fecit, primò Pylorus ſe contrahebat, mox ſyſtole totius ventriculi ab orificio inferiori ad ſuperius ſequebatur, ac tandem oeſophagi materiam effundentis,* uti ex Meſſe aurea Hemſterhuſii adducit Ettmull. T. 1. p. m. 329. Porrò dum paſta illa viſcida acida ac acris obſidet & impetuosè nimis vellicat ſuperius os ventriculi, ob nervorum plexum admodum ſenſibile, oritur triſtis illa ſenſatio *dolor ac anxietas,* quæ & ab intemperie ſanguinis in teneris canaliculis ibidem quodammodò ſtagnantis provenire poteſt. Ulterius cum ventriculus nihil valeat, nihil appetat, nihil concoquat, ſanguis & Spiritus defraudantur particulis ad nutritionem ac refectionem neceſſariis, ſingulis diebus enim ex corpore noſtro exſpirant per διαπνοὴν ἄδηλον plures particulæ, quàm 15. diebus per alvum excernitur, ſi fides Sanctorii Medicinæ ſtaticæ habenda, adeò, ut, ſi continuò avolantes particulas oculis cernere poſſibile foret, homo inſtar picturæ Sancti cujusdam, quæ à Pictoribus undique flammulis circumdata pingi ſolet, appareret. Quamobrem corpuſculis his in auram abeuntibus alia ex coctione ventriculi confecta in eorum locum ſecedere deberent, his deficientibus neceſſariò *Spirituum defectum, torporem ipſorum,* hunc *proſtrationem virium,* hanc totius corporis imbecillitatem ſequi debere in propatulo eſt. Spiritibus deficientibus ſeu non ritè ſe habentibus *Senſuum hebetudo, oculorum caligo, Pulſus debilis* inſequitur, utpote qui immediati ſunt effectus Spirituum; Ma. Sa. dein viſcidis, ſalſis, acidis, fæculentis, ac acuminatis particulis repleta, tantamque intemperiem nacta, volatilioribus ſcil. avolantibus, craſſioribus relictis, hinc inde obſtructiones cauſatur, quæ ſi in arteriolis minimis Cerebri, *Cephalalgia,* in facie Pallor ejus, in aliis partibus inflammationes oriuntur, unde calor totius præſertim ſi acredo vires capiat, ac vitioſè efferveſcat, unde *dolores lancinantes,* pungentes &c. Ex his & febris & Scorbutus familiariſſima Navigantium Symptomata explicari poſſent. *Alvus* verò navigantium ſæpius eſt *adſtricta*, quod partim ab acido auſtero, cibo & potu adſtringente provenit, partim â defectu excrementorum, materiâ ſiquidem eorum ſuperius eliminatâ. Interdum autem *fluxus alvi* vehementior adeſt, ut Montagnana præſertim innuit, hic itidem ab acrioribus ad inteſtina amandatis particulis oritur, quæ vellicant, ſtimulant, ac interdum adeò rodunt, ut vaſcula tenerrima

 ero-

erodant, ac *Dysenteria* insequatur. *Vigiliæ* ab irrequieto Spirituum motu à tot causis excitato dependent; *Vertigo* denique ac Scotomia contingit, quando Navigantes aquarum marinarum spumas, fluctuum fluctuationes ac rotationes, imò ipsius Navis motitationes aspiciunt, Spiritus in oculo residentes in similem ferè cient rotationem inordinatumque ac confusum motum, cujus ideam ad mentem deferunt, unde Vertigo, quæ si gravior adeò, ut varii colores flavi, cœrulei, virides ante oculos versari videantur, *Scotomia* tandem dicitur, non quod reverà ejusmodi colores in humoribus oculorum vel ante oculos positi sint, sed quod ejusmodi appulsus ad tunicam retinam ab Objecto fiat, qualem solent ciere radii visuales objectorum flavorum, cœruleorum &c. Anima siquidem semper judicat secundum consvetudinem uti eleganter id explicat des Cartes & ex eo Waldschmid. in Caſ. Med. Timæi p. 424. 453. 471. 476. 484. Conf. etiam Ettmull. Coll. Pract. T. II. p. m. 865. seq. Clariss. Cockburn. Act. Erud. Ao. 98. mens. Novembr. p. 524. Vertiginis Causam deducit ab arteriis, quæ proximæ sunt nervis opticis, sangine nimium distentis, & pressione suâ nervum opticum eique conjunctam retinam moventes efficiant, ut radii ab Objecto fixo profecti in diversas usque retinæ partes incidant, atque adeò objectum nobis moveri videatur; Sed cum & in sanguinis penuria laborantibus vertigo deprehendatur, Causa adducta universalis esse nequit.

§. XIV. Differentiæ nostri affectus esse possunt sequentes: 1.) ratione Subjecti vel à ventriculo vel ab aliis partibus læsis provenit inappetentia, Vomitus, nausea, si ab illo per essentiam, ab his, per consensum fieri dicuntur, sed vertigo, scotomia plerumque hic per δευτεροπάθειαν ex ventriculo scil. læso oriuntur. 2.) Ratione Causæ quoque vel solus ventriculus afficitur, vel insimul tota Ma. Sea, Spiritusque, si scil. aura maligna marina cibique incongrui deglutiantur, atque in ventriculo suam vim corruptivam ac irritatoriam exserant, primariò ventriculus patitur, ast si Ma. Sea prius inficiatur ab his assumtis, & per Consequ. fermentum ventriculi, qualis enim sanguis, tale fermentum, primariò sanguis & secundariò ventriculus afficitur, sicque intemperies sanguinis præcessit. 3.) ratione moris Symptomatum atque motus alius morbus marinus benignus minusque vehemens est, alius malignus ac vehementior foret. Benignus infert Symptomata mitiora, & non valde à statu naturali abludentia, oriturque à Causa minus consveta aliàs nihil maligni in se gerente.

Mali-

Malignus verò eſt, qui Symptomata graviora comites habet, ut inſignem proſtrationem virium, ſyncopen &c, oriturque à Cauſis, miaſmate maligno & contagioſo inquinatis, e. g. ſi aura peſtifera eos afflaverit vel cibos maximè corruptos fermenteſcibiles veneni inſtar drama ſuum ludentes aſſumſerint. 4.) Ratione modi invaſionis, alius ſaltem cum nauſea, alius cum nauſea & vomitu ſine virium proſtratione, alius cum hac &c. invadit. 5.) ratione durationis alius per aliquot horas, alius per aliquot dies, alius per totum navigandi tempus durat, & ſic vel brevior vel longior dicendus. Tandem 6.) ratione eventus terminatur alius plerumque ad ſalutem, dum intrà aliquot dies melius ſeſe habent ventriculo à ſarcina ſua liberato, alius ad mortem tendit ſupervenientibus diris graviſſimisque Symptomatibus, præſertim ſi Ma. Sea prius jam infecta fuerit; alius verò in alium tranſit morbum, Scorbutum, Scabiem, Atrophiam, Hecticam &c.

§. XV. Signa Diagnoſtica per ſe patent, & viſu percipiuntur ac §. 2. jam propoſita ſunt. Diſtinctionem tamen proponamus, quibus mediantibus differt à ſui conſimilibus ferè: Sub noſtro affectu maxima ſentitur *ναυτία* & ſingularis planè præ nauſea ab aliis rebus contracta, qualem ſingularem anomaliam conatumque ad vomitum ſentiunt ægri, ſed non poſſunt dicere quomodò, eodem ferme modô, uti cum amore vel odiô erga ignotum aliàs comparatum eſt, uti Poëta dicit:

Non amo te, Voluſi, nec poſſum dicere quare,
Hoc unum poſſum dicere non amo te.

Sic de nauſea dicere poſſum:

Sentio te, ſatis eſt, nec poſſum dicere qualem,
Hoc unum poſſum dicere ſentio te.

Imò nauſea in continenti plerumque hujus vel illius rei ſpecifica eſt, hìc autem maximè generalis. Ab Anorexia differt, quod in hac non ſtatim ſemper adſit nauſea uti in noſtro affectu; à vomitu communi, quod in illo plerumque bilis fluctuans in ventriculo ut cauſa eliminetur, in hoc non item. Ratione cæterorum Symptomatum, quæ plerumque vel abſunt vel adſunt ab aliis differt morbis. Prognoſtica quod concernit non adeò periculoſum eſſe malum nec adeò grave, ſed plerumque ſalutare, niſi diu duraverit, vel à contagioſa aura aut venenoſo advenerit cibo, ſic enim majus periculum incurrerent navigantes, ni tamen ſuccurramus

mor-

morbo leviori ante viso mox in clinicum ac diuturniorem converti potest. Huc etiam referantur, quæ §. præced. ratione durationis ac eventus modò dicta sunt.

§. XVI. Sed adhucdum, antequam curationem ipsam aggrediar, quæstiones quasdam huc pertinentes ad meliorem thesium harum dilucidationem resolvere placet. Et 1.) quidem *an transspiratio corporis navigantium sit inhibita nec ne?* In hoc enim contrariari sibi videntur Helmontius ac Cockburn, ille enim transpirationem auctam putat apud navigantes, quia multum plus plurimum edunt, parum egerunt. Hic autem ex minus sensibili transpiratione per poros impedita deducit morbos navigantium illamque unam ex præcipuis autumat esse Causis. Quod si ita sit, unde igitur navigantes duriorem habent secessum, ac minus excrementi laxant, licet vel triplo plus (si sani sunt) edant se ipsis in terra degentibus, si transspiratio adeò est inhibita? Ubinam igitur manet, quod in tanta copia assumitur? Arripienda hic potius erit Helmontii sententia in tr. Blas hum. p. 178. §. 36. dicentis: *Aqua facit promotionem digestionis, fluctuatio nobis aërem recentat, & sic fortior digestio. Itaque si fortius edimus, minusque dejicimus, sequitur necessariò plus difflari seu evanescere è corpore, quod est dicere, aërem puriorem Boreæ & marium facere ad diaphoresin corporis sive disponere cruorem ad sui perspirationem insensibilem.* Ejusdem mentis Ettmull. Instit. Physiol. c. 3. T. I. p. 79. & in Dissert. de Respir. c. 8. §. 5. T. II. p. m. 1866. Non igitur tantoperè perspirationem esse inhibitam ut Doctiss. Cockburn antè cit. existimat, colligere licet. Licet enim aliquò modò prohibita à frigore maris ac venti marini, interim non totaliter suppressa, sed ipsum frigus aëris ventique marini ad perspirationem quodammodò contribuit, dum tenuitate ac puritate suâ (quò frigidior enim aër marinus, eò purior, è contrariò humidior eò laxiori frigiditate gaudet) cibos eò melius penetrat, attenuat, secum evehit, consumit, foràs educit. De sanis verò quod diximus existimandum est, unde illi etiam plus edunt, quia aër marinus acredine suâ stimulat ventriculum ac appetitum concitat, qui dicitur Fames. In ægris autem utique transspirationem magis esse inhibitam ambabus, quod dicitur, manibus largimur, & quò magis inhibita, eò periculosius decumbent, interim nec in his totaliter suppressa.

§. XVII.

§. XVII. Dein quæritur, *an aër ventusque marinus etiam in se contineat sal,* cum Aqua marina tantoperè sit impraegnata eôdem? Dubitare enim quis posset, an salium spicula ex aqua marina etiam ascendant ut effluvia ingrediantur, præsertim cum nautæ in potus defectu velô expansô humidiora effluvia rorem ac nebulas excipere soleant, quæ nullô modô sunt salsa. Hinc Illustr. Baco Baro de Verulam in Histor. Vent. p. 449. §. 10. *Marini venti sunt procul dubio terrestribus humidiores, sed tamen puriores, quique facilius & æqualius cum aëre puro incorporentur, neque opponat quispiam eos debere esse propter salsuginem maris crassiores, natura enim terrestris salis non surgit in vaporibus.* Verùm ut taceam: (1) Aërem vel sexcentis particularum generibus scatere & adeò confusum effluviorum aggregatum existere, ut vix ullum adeò heterogeneum corpus detur in rerum natura asserente Boyle passim, præsertim in Tr. de Latentibus Qualit. Aëris, Chym. Scept. &c. Conf. Cartes. Princip. Philos. part. 4. §. 45. & Meteor. c. 1. §. 3. (2) Mayowium C. 7. p. 84. de Sale nitro-aërio & in tr. de Respirat. Nitrosum quid in aëre, ac Dn. Nuylement Gallum de Sale Philosoph. salinum quid universale in aëre statuere; quæ tamen destruere laborat Clariss. Bohnius in tr. de aëris in Sublunar. influxu, ut taceam 3.) Capita mortua ⦶i, ⊕i aëri exposita iterum reviviscere, pristinamque qualitatem salinam recuperare vid. Ettmull. Instit. Phys. T. 1. p. m. 114. quod idem & mineræ quædam Metallorum exhaustæ, denuò verò crescentes faciunt, ut Kircher. Mund. subterr. L. 4. s. 2. C. 8. propos. 3. Matthes. in Sarept. Concion. 3. Barba de arte metallica l. 1 C. 18. aliique testantur, quos Cap. 2. citat sed aliter rem explicat Bohn. l. c Cap. 4. De Plumbo quod & pondere & mole augeatur, si diu asservetur in locis fornicatis ac cellis, ubi aër crassior est spissiorque, memorat Boyle in Chymistæ Sceptici part. 6. p. m. 122. (4) Verè respondemus: Aërem marinum præter varias alias & salinis gaudere particulis, quod probamus (α. Si aër ac æther continuo ac indesinenti suô motu, pertransitione ac penetratione per corpora alia terrestria metallica scil. Sulphurea, Mercurialia &c. utpote multò duriora ac crassiora de Substantia eorum semper aliquid atterit, secumque in auras deducit, certè & de salinis marinæ aquæ particulis aliquid evehet secumque abripiet præsertim sub vaporibus & effluviis ex mari ascendentibus. Verum Β. erit posterius, cum ex unanimi experientissimorum Virorum Boylei,

 du

du Hamel, Hoockii, Cartef. le Mort, Senguerd. du Volder, Kircheri, Schott. &c. confenfu prius fit veriffimum. (β. Negat hoc neque ipfe Celeberr. Bohn. l. c. C. 4. fed falis marini elevationem deprædicat. Verba ejus exftantiora hæc funt: *Quorundam locorum aërem tales in ventre fuo portare* (fubftantias) *primò inde concludere fas eft, quod ille in cuncta quæ ambit ut corpus fluidum agens, ab his neceffario tandem aliquid deradat, hacque ramenta fecum abripiat, & quidem non de corporibus tantum, quæ de natura fua volatiliora, & ad dimittendas atomos faciliora v. g. aromata & falia volatilia; fed de his pariter, quæ fixiora dicuntur, --- ita ut v. g. Salis marini fixi alias fatis atomos ab aëris continuo impulfu atque agitatione fimul cum aquea maris fubftantia in fublime rapi, maritimarum regionum auræ peculiaris textura variis effectibus fe prodens, evincat. Dein idem perfvadent effluvia ex cavernis terræ --- idem fufpicari jubent laboratoriorum chymicorum vicinitas &c.* (γ. Sal in aëre marino probat aucta fames ac voracitas navigantium fanorum alvô licet claufâ, ubi certè Sal illud & nutrimentum partium corporis abradit, & ventriculum ftimulat, & excrementa confumit, ut pauca deponantur. (δ. Idem evincunt Symptomata ac morbi, quibus conflictari maritimi ac diu navigantes tenentur, acres fcil. corrofivi, fcorbutici affectus. (ε. Epimetri locô adderemus, poffibilitatem attenuationis ac elevationis Salis probare Spiritus Chymicos ⊖is, ⏀ri, ⊕ &c. arte paratos, it. exhalationes falinæ fubitò interdum ortæ, multosque homines ac pecora enecantes ut Aventinus Lib. 7. Hift. Bav. refert, affertionem noftram confirmant. Imò rorem planè falfum in quibusdam locis Arabiæ referunt Tavernier aliique & ex iis Happelius Rel. Cur. T. II. p. 601. Quod autem potum nautarum, ex velis collectum attinet, illum ex pluviis decidentibus, vix ex nebula vel rore collectum (cum ifta tantopere linteum non madefaciant, nedum ad potum liquorem fufficientem darent) apud Auctores legimus, aft in pluviâ (addam rore, nebulâ) adeò difperfæ falinæ, copiofisque aqueis dilutæ particulæ funt, ut faporis organon non feriant, cum & faliva noftra fit falina, interim non appareat guftui falfa. Auctoritati verò Illuftr. Baconis puritatem ventorum marinorum falque in vaporibus non furgere objicientis auctoritatem Clariff. Bohnii falfuginem aëris marini multò magis venti concedentis opponimus, ulterius addentes: Ventos

marinos

marinos præ terreſtribus forſan puriores, non ſimpliciter puros eſſe, dein, licet terreſtre Sal ſive craſſum ſal ſalſum aëri ventoque marino non inſit, ſalini quid ineſſe non infringitur, tum Illuſtri Baconi ſuo tempore utpote anno 1626. jam demortuo effluvia corporum nondum adeò nota fuère, quàm recentiſſimis naturæ ruſpatoribus indefeſſis.

§. XIIX. Quæritur tandem (cum de eo jam §. 12. mentionem injecerimus) *quare ſub Æquatore ſive ſub Linea ut nautæ vocant, ingraveſcant morbi, ſi illam navigantes attingunt?* ℞. Cum tractus ille maris, qui ſub linea æquinoctii jacet, adeò longè diſtet à mari Septentrionali, unde Batavi, Angli aliique curſum ſuum incipiunt, neceſſariò omnes recentiores cibi ac ſaniores potus vel conſumuntur à nautis vel corrumpuntur diuturnitate temporis, quem tamen non abjicere, ſed retinere ac in uſum vertere coguntur neceſſitate preſſi nautæ, dein variis iisque ſæpe periculoſiſſimis aëris ac aquæ tempeſtatibus conflictari inſuper opus habent, unde quò diutius in mari verſantur, propiusque accedunt lineæ dictæ, eò plus inſpirârunt de malè ſano ſpirante aëre ac vento, eò plus comederunt de mucô ac ſitu corruptis alimentis, eò plus de acido ac effœto potu guſtârunt, & hinc eò plus de ſanguine viſcido ac acri participant, unde non mirum, quod eò plus etiam morbi varii generis eos adoriantur. Sed cum generalior hæc cauſa foret, & in aliis diuturnis navigationibus locum habens, ſpecialior quærenda eſt. Dicimus ergò, quod in tractu illo ſub Linea ſeu Æquatore ſito ſingularis æther peregrinus ac inſvetus regnet, ætheri corpori humano conſveto ac familiari contrarius, imò ætheri cæterarum plagarum non adeò amicus, qui ſanguini navigantium accedens, cum æthere conſveto pugnam iniens, eundem ſupprimit, ejicit, ac ingratâ ſuâ præſentiâ omnia turbat, unde hæc lerna malorum. Idem facit in cibis ac potu navigantium, ibi enim deſtruens poros ac compagem ſolvens, corrumpit & perdit, quod adhuc ſanum ac ſalvum exiſtebat. Neque alicui mira videatur hujus peregrini ætheris exiſtentia, hæc enim & aliàs ſubitaneos motus ac caſus, criſes, antipathias, ſympathias ac idioſyncraſias facit, ac ſingulares effectus prodit, prout ſe amicè vel hoſtiliter cum æthere conſveto conjunxerit. At enim verò cum modò dicta obſcuriora cuidam videantur, clarius explicanda erunt, Aër, Ventus imò hæc vel illa plaga mundi variant, prout variæ exhalationes ex terra, paludibus, montibus, cavernis aſcendunt, ac tractum illum per-

 currunt,

currunt, unde *Hippocr. Lib. de aëre aquis & locis:* non cœli tantum ſpectanda ſerenitas, ſed loci ſitus, ſoli natura, venti perflantes, vicini montes, flumina, paludes aliaque conſideranda &c. prout illa effluvia ac exhalatiōnes ſeſe habent, ſic ſanitati magis vel minus adverſabuntur. Tetræ enim exhalationes morbos, gratæ verò ſanitatem conciliabunt. Hinc Inſulæ S. Helenæ aliæque in vaſto Oceano ſitæ exiguæ terræ, à miaſmatibus liberæ, ac liberiori auræ expoſitæ inter ſaluberrima totius orbis habitacula celebrantur, Inſulæ Moluccenſium ob fracidum ac gratum herbarum ac florum uberius ibi provenientium odorem aëra ad ſatis diſtans ſpatium 20. & ultra milliarium replentem itidem maxime ſalubres cenſentur, è contrariô in nonnullis Ægyptiæ plagis ab aëre putrido naſcuntur dracunculi inter crurum muſculos, imò endemiorum cauſam præcipuam, ut plicæ Polonicæ, Sudoris Anglici, Rachitidis, Luis Venereæ, Elephantiaſis Ægypti, aëris maligni certam conſtitutionem putant Auctores. *Vid. Mundium de aër. Vital.* cap 6. Conf. ea quæ §. 12. de regionibus ſunt dicta. In Galliis aër in Urbe Avenione tibiarum ulceribus maximè inimicus eſſe refertur, verùm contrarium Lutetiæ Pariſiorum eſt, quemadmodùm apud Italos aura Ferrarienſis & Piſana iisdem adverſa, commodior Florentina perhibetur. Sic vulnera Capitis plus periculi habent Pariſiis quàm Avenione, ſimiliter Bononiæ quàm Romæ. *Vid. Borell. Cent. 1 Obſ 44. Paræum lib. X. c. 8. p. 343.* In mari præſertim certi ſæpiſſime tractus ventorum obſervantur, qui vel ſunt humidi, vel variis aliis inquinamentis repleti, adeò ut quædam naves non longè à ſe invicem curſum ſuum dirigentes una earum ſentiat ventum hunc (aliquando malignum) feliciterque plenis velis currat, altera immota ferè maneat. *Quod Dnus. Baco de Verulam. in Hiſt. Vent. p. 462. his verbis teſtatur: Marini Venti intra ſpatia anguſtiora multò quam terreſtres ſpirant, in tantum, ut in mari aliquandò conſpicere detur, auram ſatis alacrem aliquam partem aquarum occupare, (id quod ex criſpatione aquæ facilè cernitur) cum undiq; ſit malacia, & aqua inſtar ſpeculi plana.* Ad rem itaq; ut accedamus, dicimus ſub Lineâ magnam malaciam & maximum eſſe æſtum omniaque urentem ac corrumpentem calorem Solis, aëremque ferventem multisque peregrinis fermentis ac corpuſculis onuſtum, quæ aquam dulcem navigantium ex qua cibum coquunt, licet in ſe omni labe careat, hîc tamen mox gilvam viridem ac tandem rubram reddunt, undè ſitum mucumque ac fœtorem

contra-

contrahit. Plura vid. in Happ. Rel. Cur. T. II. p. 91. Quamobrem ex aëre fervente ac variis inquinamentis referto inspirato, ex potu fœtente, ex cibo corrupto sibi labem facilè accersunt navigantes, & si jam ægri fuerint, graviores sibi contrahunt morbos sub linea seu Æquatore.

§. XIX. Methodus medendi si secundum indicationes ritè institutas peragatur, ritè sese habet, ac satisfecit officio suo Medicus, ordinariè autem & omnium maximè desumi debet indicatio à causa, hac enim sublatâ, semper ferè tollitur effectus. Atque ità hæc Indicatio omnium locô sufficeret, ast aliæ adhuc proponuntur Indicationes ab Auctoribus, quæ tamen secundariæ saltem dici deberent, scil. à Symptomatibus gravioribus, à viribus, ab ipso morbo petitæ. Eædem & hìc sunt instituendæ; quamvis enim tantô apparatu interdum in hoc morbô opus non sit, cum post aliquot vomitiones ipse cesset, interim cum neglectis principiis in deterius maximoperè ruere possit sanitas ac bona constitutio hominis, item satis diu interdum affligat navigantes, censendum cum Poëta:

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluêre moras.

Quamobrem methodicè ut agamus, indicationes & hîc à causa morbi, à symptomate urgentiori, à viribus, imò à morbo desumantur. Scil. 1.) inordinatè vellicans, irritans, fermentum ventriculi destruens è ventriculo eliminandum, viscidum corrigendum, acre infringendum ac quovis modô emendandum. 2.) Urgentissimum Symptoma refrenandum ac mitigandum 3.) Viribus prospiciendum conservatione ac auctione. 4.) Morbo occurrendum ac pars affecta roboranda. *Primum* peragitur, si aëris externi qualitates nocivas quantùm possibile mutemus, noxium è ventriculo eliminemus, intemperiem ventriculi ac Mæ. Seæ corrigamus, fermentum debitum restituamus. Aër quomodò alterari possit mox dicemus sub diæta, dein cum viscidum ac acre fermentum peccet, ita ut vomitus insequatur, hic non statim sistendus, sed ad temporis spatium permittendus, partim ut causa vellicans ejiciatur, (suadet id ipsum Hipp. Aphor. Sect. 4. XVII. *Sine febre existenti cibi fastidium, & oris ventriculi morsus, & vertigo & os amarescens medicamento sursum purgante opus habere significat*) partim validâ illâ vomitionis concussione pori ventriculi aperiantur, viscidum ex tubulis excutiatur, obstructio sic tollatur, & sanguis in meliorem motum deducatur, ac intemperies ventriculi emendetur. Adjuvari autem poterit vomitus, ac insimul

 liquor

liquor gastricus aliquô modô melior reddi, si potu Theæ I. Coffe, vel Salviæ vel veronicæ diluimus contenta ventriculi, ac post quamvis Vomitionem haustum bonum propinemus, facilior inde fiet ejectio, nec ruptio vasis cujusdam erit metuenda Er wird sich nicht so leicht was sprengen/ quod certè & in aliis vomitibus arte institutis est observandum. Item si nullus vomitus insequi velit, sed molestissima saltem cruciet nausea, vomitus excitari poterit potu tepido herbæ Theæ vel Salviæ ad satietatem hausto, vel irritatione faucium pennâ oleô illitâ, vel exhibitô copiosô jusculô pingui vel gr. j. ij. ♀i emetici in potu calido, observatis tamen circumstantiis in vomitu solitis. Purgationes hic non conveniunt, eò enim ducendi humores, quò maximè vergunt & quidem per loca convenientia secund. 1. Aphor. 21. Dein per purgantia viscidum ac acre non emendatur, sed major f rm nte cibilis motus sanguini inducitur, ut vitiosè effervescat, ac ad tenellulos canaliculos feces suas spumæ instar detrudat, majores inde obstructiones faciat, imò per purgantia intempestivè adhibita Ma. Sa. ita turbatur, ut artificialis insequatur febris. Pari ratione & Væ Sectionem hic exulare jubemus, nisi forsan in maximè Plethorico adhibeatur, cum ea à qualitate sanguinis viscida ac acri non indicetur. Vid. Disput. Dni. Præsid. de Phlebotom. §. XIV. Equidem Doctiss. Cockburn §. 2. citatus itidem derivat morbos navigantium ex viscido, ac acri sanguine, sed ad corrigendum eum Purgantia ac Venæ Sectionem omnium maximè laudat ac commendat. Non autem ejusdem cum eo sumus sententiæ. Præsupponit ille quidem nimiam plenitudinem corporis ex assumtis & ab insensibili transpiratione inhibitâ, hincque ortam febrim ac scorbutum, itaque de diu præprimis non de noviter navigantibus agit uti nos. Sed nec illis adeò frequentem V. Sem ac purgationem conducere putamus. Sanguinis enim missione visciditas ac acredo inflictum vulnusculum non pertransibit, sed potius volatiliores, mobiliores ad motum aptiores, spirituosæ avolabunt, cæteris sic multò plus irretientibus ac complicantibus. Quid? quod libræ XV. vel plures per alterantia debent emendari, quare neque ℥vj. vel X. inutiliter emissæ? Sed nec per Purgantia viscidum attenuatur vel acredo tollitur, potius major acredo inducitur, uti illud sub excretione in ano dolorosa experiuntur multi, viscidumque compingitur fermentatione vitiosè institutâ. Interim visciditate prius attenuatâ, atque sic materiâ coctâ secundum Hippocr. porrò

per

per vices purgans exhiberi poſſet; Purgantium loco viſcidum ac acidum debellans optimum eſt ☉ fulminans ad gr. X. imò plura datum, inæſtimabilis inejusmodi affectibus pretii. Notandum aliàs medicamenta vel tertiâ parte validiora in mari quàm in terrâ degentibus eſſe danda, recte id monente Th. Barth. Act. Med. IV. 77. Viſciditatem autem ac acredinem tollemus, ſicque intemperiem ventriculi ac ſanguinis corrigemus præcipitantibus, abſorbentibus, attenuantibus, ſtomachicis, aromaticis, qualia ſunt: Ocul. ♋. crudè pulv. C. C. Philoſ. præpar. Ebur ſ. △e, Corall. Creta, Mentha, Cortic. Citr. Aurantiorum, Zingib. Zedoar. Cinamom. Crocus, N. M., Mac., Cort. Peruv. Grana Maſtich. ♁ Diaphor. ♂. Bezoard. miner, Arcan. dupl. ⊖ armoniac. Spiritus menth. Spiritus Maſtich., Tinctura Anodyn. Tinctura ⊕li ♂tis exterrâ fol. ♀ri, Spiritus Cochlear. Compoſita ſunt Elix. Propr. c. Alkaheſt Glauberi, Spirit. Theriac. Spirit. Matrical. Jungk. Spirit. ✱ci, Tinctura aromatic. Elix. antifebr. D. K. &c. Fermentum debitum reſtituetur itidem per ejusmodi Spirituoſa ac blandiora acida ac ſalina, ut Elix. Propr. c. Alkah. Glaub. Elix. ⊕ Mynſ., ⊖ vol. oleoſ. Sylv. Elix. Stomach. D. Michael. Crem. ♀., ♀us ⊕atus, Elix. Citr. Eſſ. Cinamom. Eſſ. Panis c. Vin. Malvat. Terra foliata ♀i. &c.

§. XX. Urgentiſſima (2do) Symptomata removeantur, ut ſunt: præcipuè nauſea & Vomitus. Cætera ſub tertia Indicatione continentur. Nauſea ergo & Vomitus, uti & ſi fluxus ventris immodicus adfuerit, compeſcitur fibrarum ſpaſmum demulcentibus, Spiritusque ſopientibus, ut ſunt: blandè oleoſa, opiata, narcotica, antiſpaſmodica e. g. 🜍. ⊕. anodyn., Crocus, Papaver rh. & alb. Cinabar. nat. & ♁ii, Opium, Pulv. Anodyn. Ludov. Diaſcord. Fracaſtor. Laud. Opiat. Terra Sigill. Bol. armen. Aqv. Cinam. Cydoniat. Elix. vel Spirit. Menth. Eſſ. Caryoph. Macis, Tinctura Anodyn. Vertigini ac Scotomiæ obvenirent Liqv. C. C. ſuccinat. Spirit. Cephal. Eſſ. Caſtor. Spirit. Lil. convall. ▽ anhalt. Stercus Pavonis ut Specif. laudatur, an ita, noverint qui probaverunt. Vid. Ettmull. Coll. Pharm. in Ludov. T. 1. p. m. 1161. Conf. Dale in Pharmacol. p. m. 541. D. Riedlin. extollit Pulv. ex pilis Ægagropilorum, vel hujus locô Doronicum, in Obſerv. XVI. menſ. Febr. ao. 1696. (3) Viribus proſpiciendum, ſicque Lipothymiæ, torpori Spirituum ac corporis ejusque imbecillitati obviam eundum Alexipharmacis, Spirituoſis,

Con-

Confortantibus, Cordialibus dictis ut sunt: Spirit. Rof. Meliff. Anthos, Lavend. Ess. ambr. Tinctura Croci, Conf. Alkerm. Ol. destillata Aromatum, Elæosacch. Citr. aliaque ex oleis aromat. parata. (4) Morbo seu Dispositioni præter naturam ventriculi obviam eundum, hicque corroborandus erit iisdem, quæ sub prima indicatione indigitavimus. Nos seqq. in Morbo navigantium adhiberemus formulas. Post vomitum scilicet hoc absorbenti Spiritusque demulcente uteremur pulvere. ℞. Ocul ♋. C. C. aa. ʒj. Terr. Sigill. Corall. rubr. aa. ʒß. ♁ Diaphor. ♃ial. Pulv. Anodyn. Ludovic. a. ℈j. Cinnab. ♁ ii. ℈ß. M. S. Stillendes Pulver/ davon 3. gute Messerspitzen 3. mahl im Tag zu nehmen. Ad ventriculum roborandum ac vomitum sedandum præcedens pulvis anod. usurpari posset, additis saltem aromaticis ac aucta dosi, interim & seq. ℞. ▽. Menth. fœnic. Cinam. s. aa. ℥iß. Cinamom. Cydon. Mastich. compos. aa. ℥j. Tinct. Anodyn. ʒij. Cinam. ʒiß. Syr. Myrt. Mastich. aa. ℥ß. M S. denn und wenn einen Löffel voll zu geben. Ad appetitum resarciendum si à bile depravatus fuerit. ℞. Elix. P. c. a. Citr. edulc. aa. ʒj Spirit. ⊖is dulc. ⊕ dulc. aa. ℈j. M. S. Appetit Beforderungs-Tropfen 60 biß 70. Mittags und Abends zu nehmen eine Stunde vor der Mahlzeit. Si ab acido. ℞. Elix P. amar. ℥ß. Tinct. Anod. Sp. ✱c. ♀lat. aa ʒj. M. S. ut ante. Vinum Malvaticum quoque ad reficiendum propinarem it. Rad. Enul. Zedoar. N. M. conditas manè darem. Trageæ insuper aromat. cum Pulv. Stom. Birckmann. convenirent. Exterius stomacho admovere conduceret seq. ℞. Crust. pan. tost. instilla Spirit. Vin. q. s. adde pulv. Cariophyll. N. M. Zedoar. q. v. It. Ol. ♌. absinth. Carv. Macis &c. ventriculus inungi posset. Turbata M. S. restitueretur Pulv. vel. Electuar. ex Cort. Peruv Pulv. è Chel. ♋. Anglic. Elect. Diacor. ⊖ armon. depurat. Lipothymiæ obveniremus sequenti. ℞. ▽ apoplect. ℥j. Spirit. ✱ci ʒj Ol. ♌. Serpill. Mac. succin. aa gt. iij. Cinam. gt. ij. M S. vor die Nase zu halten / und auffs Tuch zu giessen. It. ori gutta una vel altera instilletur, si gravior fuerit lipothymia. Vires resarcirem haustu vini mollis aliusve subacidiusculo-dulcioris. Contrà verò alvo adstrictæ succurrerem clystere ex emollientibus herbis vel Suppositorio vel blandiori laxativo. Vertigini Cephalica dicta ordinarem. Plura qui desiderat adeat Practicos, inter quos præstantissimos puto Ettmull. Waldschmid. Jungk. Gladbach. Imò si placet Wedel.

Wedel. Sylv. Dolæum, Willis. &c. & inter Batavos de hoc affectu scribentes cit. Verbrigge in Zee-Chirurgie & Vroling. in Lib. Matroosen Gesontheyt nominato.

§. XXI. Sed Specifica nonnulla etiam maximè laudantur ab Auctoribus in morbo hoc navigantium nausea & vomitu. Avicenna Lib. 1. Fen. 3. Doctr. 5. Cap. 8. pag. 70. lit. G. ad curationem & Præservationem *Vomitus ac Nauseæ in mari* commendat *ex fructibus Cydonia & granata comesta, semen quoque apii ac absinthium ut bibat. It. acetosis ut nutriatur navigans jubet, sicut lentes in aceto & succus uvæ acerbæ & parum calamenthi, & hasco & panis fractus in vino bene redolente aut in Aqua frigida. Et est quando in ea ponitur hasce (thymus.) Nares quoque ejus interius cum cerussa sunt epithemandæ.* Et in parte 2. Cantic. no. 56. p. 574. inquit: *Volens navigare debet assumere & colligere aquam multam & multa vasa munda, cui præparanda ac offerenda sunt cibaria humida. Venter & natura ejus est cum medicinis mollificanda, si timeatur vomitus choleræ, evacuetur per secessum, quibus peractis ingrediatur navim, & imponat secum succos acetosos, & cum eis stipticos.* Sed relinquantur hæc experientiæ ipsius. Ettmull. in Coll. Pract. T. II. p. m. 92. & in Schrœd. dilucid. T. I. p. m. 555. Crocum ejusque sacculum admotum ventriculo, qui potenter vomitum navigantibus familiarem sistere debet, commendat ex eleganti historia apud Baconem de Verulamio in Hist. Vit. & mort. reperibili p. 537. § 15. his verbis: *Memini quendam Anglum, ut vectigalia supprimeret, Croci saccum cum transfretaret, circa stomachum portâsse ut lateret, eumque cum anteà ex mari gravissimè ægrotare solitus esset optimè tunc valuisse, nec nauseam ullam sensisse.* Joh. Hartm. in Prax. Chymiatr. Cap. de nausea p. 106. ne quis in mari evomat, Salis peregrini compositionem laudatam sequentem refert. ℞. ⦶ri s. lap. Prunell. potius ⦶i fixi, ⊖is fusi & ⊖ gemmæ aa. ℥ss. Galang. Macis, Cubeb. aa. ʒj. M. f. P. dos. gr. iij. ad viij. jejuno ventriculo. *D. Joh. Casp. Grim Archiat. Princip. Saxon Eisenac. ac Pract. Lips. in tr. Germ. remediorum Comitiss. Anglic. à Kent.*

 mari

anno hoc editorum p. m. 240. seq. confortativum navigantis in mari refert: ℞. ▽ Borrag. Menth. crisp. aa. ℥iss. ▽ Cinam. Syr. flor. tunic. aa. ℥j. Conf. Alkerm. ʒj. M. S. zuweilen ein Löffelvoll auf der See zu nehmen. Atque hæc dicta non essent de nihilo.

§ XXII. Diætam quod concernit, hæc nisi emendetur, frustrà in sublatione Causarum desudamus. Aër itaque & ventus variis inquinamentis refertus, quantum possibile vitetur ac corrigatur, ac odor gratus concilietur fumigatione Mastichis, Succini, Tacamahacæ, Thuris aliorumque fragrantium gummatum, Aqua lil. convall. Lavendul. Apopl. in Conclavi (in der Cojüt) dispergantur, ac naribus ægrotantium assvetorum admoveantur, si enim non assveti fuerint, & hic, licet maximè gratus odor plurimis, magis interdum offendet quàm defendet ægros, ut nota est historia de Stabulario, pharmacopolium prætereunte ex odoriferis balsamicis pejus, ex admoto stercore equino melius se habente. Vid. Bruno D. M. G. p. 576. it. 477. Celeberrimus ille artificiosæ navis submarinæ seu sub aquis navigandi confector Drebellius ejusmodi liquorem Spirituosum habuisse dicitur, quò mediante si vitrum aperiat, aërem recentare ac gratis ad respirationem necessariis effluviis impraegnare potuit, ut crassiori humido aëre ante in navicula contento ferè enecati ad se iterum redierint, ac dulciorem Spiritum lætè ulterius protraxerint. Vid. Schott Techn. cur. lib. 4. cap. 8. pag. 390. Boylei Experim. Physic. mechan. 41. pag. 140. Frigidus item aër vitetur, corpusque muniatur non solùm vestibus, sed & inunctione Ol. Terebinth. axung. vulpin. & Spirit. Vini illito ac superimposito, ita hæc commendat contra intensissimum frigus Groenlandiam petentibus Joh. Verrigge in de Zee-Chirurgie p. 288. Accensione etiam ignis humidior ac frigidior aëris qualitas emendetur, Spirituosis ac aromaticis utantur cibis quoque ægri. Si verò calidior fuerit aër conclavis, effusione aquæ frigidæ ex uno vase in aliud ventiletur, vel etiam aspersione aceti, quod etiam cum vino rubro marte ignito calefacto mixtum cum linteo abdomini applicari potest, ac internè Decoctum Tamarindorum propinari cum pulvere

rof.

rosʃ. rubr. ʃantal. rubr. Terra Sigill. &c. vid. cit. Verbrigge p. 302. Alimenta acidiuʃcula ac auʃtera hic conveniunt. Nares illinentur Balʃamo quodam grato, ut ingratus picis aliarumque rerum odor eas non irritet. Cibus ʃit εὔπεπτος καὶ εὔχυμος, aromatibus conditus, panis bene coctus & fermentatus, potus bene defœcatus, clarus, herbis convenientibus alteratus ac medicatus. Spiritus Vini modicè ʃumtus non negligatur vel Aqua Cinam. Maʃtich. &c. Loco potus ordinarii Decoctum hordei cum ʃcordio, vel C. C. ac paʃʃulis, vel Liquirit. uʃurpent ægri navigantes, cibi ʃaliti, fumati, acres, viʃcidi, non bene cocti vitentur, piʃces recentes nimis pingues facilè nauʃeam pariunt ac vomitum, uti & alia pinguia ac oleoʃa, ut butyrum præʃertim rancidum, adeps porcina, aliaque unctuoʃa ventriculum facilè incommodant. Saccharata nimia acrem reddunt chylum ac ʃanguinem; Lacticinia præʃertim ʃerum ejus conducunt, caʃei bonum requirunt ʃtomachum, ʃinapi, piperata, tabaci fiʃtula, vina, moderatè ʃumta proʃunt. Modicè in omnibus cibandum, abundantia enim cibi facit redundantiam ac ʃuperfluentiam ventriculi. Potus herbæ Theæ, Coffe it. ʃuccoladæ non negligatur. Motus ac exercitatio corporis deambulatione pedum ac gyratione manuum aëre inprimis frigido prodeʃt. Somnus longus ac profundus vitandus, ex otio enim ac intermiʃʃione laboris plerumque contrahitur ʃcorbutus aliæque ægritudines, interim vomiturientibus quies ac ʃomnus convenit. Animi pathemata vehementiora exulent, præcipuè ira & timor, animus ʃit hilaris, Excrementa promoveantur clyʃtere lenique purgante. Inʃenʃibilis tranʃpiratio frictionibus calidis &c. promoveatur, intendatur, adjuvetur. Epimetri locô præʃervationis gratiâ & ʃeqq. commendari poʃʃent: Nimirum antequam mari ʃe quis exponat, corpus ἄνω καὶ κάτω purgetur præʃertim vomitione præmiʃʃâ, ut ʃaburra primarum viarum earumque poris impactum viʃcidum aliudve peccans rejiciatur, purgans deinde inteʃtina liberet, diaphoreʃis ʃanguinem corrigat. Corpus exterius à frigore aliisque injuriis aëris ac ventorum bene muniatur veʃtimentis & ʃtragulis ʃeu lectis ʃufficientibus; in conclavi (in der Cojüt) ʃe contineat, nec maris fluctus aʃpiciat, donec aʃʃveʃcat, nares ab odore peregrino præʃervet oleis, balʃamis aliisve ʃvaveolentibus ʃuperius dictis, vel olfacien-

faciendó mala cotonea, aut thymum aut pulegium, quæ Grataro-lus commendat; Croci quoque odor ac admotio naribus ac pectori non rejiciatur: Essentiis stomachalibus vel masticatione Coriandri, cubebarum &c. ventriculi læsionem aliqualiter temperet. Laudant quidam, inter quos & Gratarolus ante navis ingressum aliquot diebus potum aquæ marinæ cum vino secundum versiculos:

Nausea non poterit quenquam vexare marina
Antea cum vino mistam si sumserit illam.

Causam addit Gratarolus dicendo, *remedii hujus causa est, quia aqua marina salsedine sua & stipticitate claudit orificium ventriculi seu stomachum, & per hoc vomitus impeditur.* Sed vereor, ne aqua marina spicula sua salsa ventriculo infigat, sicque vellicet potius quàm claudat stomachum, & hinc plus noceat quàm prosit. Interim experiatur qui volet. Audaces sæpe fortuna juvat. In defectu potus itidem dictus Auctor commendat aquam salsam cum aceto vel Syrupo acetoso, in quem grana myrti sunt projicienda; Sit verò & hic fides penes auctorem. Cætera ad Præservationem spectantia in superioribus videantur.

Et hæc sunt, quæ circa morbum navigantium navigantibus primâ inprimis vice familiarem (quem si quis Symptomata saltem navigantes afficientia appellare malit, per nos licebit, cum utrumque rectè asseri posse putemus) annotare voluimus, in quibus si fortè circa materiale vel formale hallucinati fuerimus, hominis proprium nos in omnibus evitare potuisse ne cogitavimus quidem. Si Deus vires & vitam suppeditaverit, inpostерum elegantiora ut luci publicæ exponamus, annitemur. Si interim B. L. hæc assumat animô tàm benevolô, quo scripta sunt, est de quo nobis maximoperè gratulamur.

S. D. G.

ERRATA.

Pag. 1. l. 7. leg. 2. Paralip. pag. 7. l. 25. pro prædictum lege præditum. pag. 11. l. 11. dele vid infra. pag. 17. l. 7. leg. hebetudo. pag. 22. l. 5. lege cientur. pag. 28. l. 8. pro fracidum lege fragrantem. pag. 31. l. 32. adde in Lineis Medicis.

CO-

COROLLARIA.

I.

QUi non poteſt orare, tranſeat mare & diſcet orare, præſertim ſi tantæ ſimileſve anguſtiæ ac inediæ eum corripiant, quantas experti ſunt ao. 1639. ſub Præfecto Dirck Albertſz Raven Grœnlandiam petentes, ita enim ille in Diario ſuo: *Wy waren in grooter drœfheytt* (naufragiô ſcil. paſſo, in inverſa navi quidam adhuc reſidebant) *want wy hadden noch eten noch drincken, en waren wel genegen tot ſlapen, maer en konden noch dorften ons niet neer leggen, want vroren ſtracx doodt; droncken ons eyghen water. Eene van de maets quam by my en bad of hy wat van myn water mochte hebben om ſyn hert te laben. Ick gaf hem wat, en hy dronck het. Een ander quam by my, en badt of hy de vochtigheydt die in myn baert hingh, die bevrooſen was, wat mochte aflicken, 't welck ick hem tœ-liet. Det herte brack my ſchier als ick het Volck over ſagh, ſlœgh myn ooghen dickwils ten Hemel, hoopte noch al dat de Heer het verſien ſou, hœ wel daer geen tœ en ſcheen.*

II. Scaligeri teſtimonium mare in fundo eſſe dulce meritò rejicitur, aliudque probatur ab indefeſſo naturæ myſta Boyleo Obſerv. de Salſed. Mar. Sect. I. c. 1. p. 4. attamen quibusdam in locis reperiri aquam dulcem in fundo maris, varii teſtantur, quos inter per 40. annorum itinera ſexies Orientalia Regis Perſarum, Indorum, Magni Mogulis Regna viſitans, experientiſſimus factus Dominus Tavernier in Itin. Perſ. lib. 2. c. 9. p. 101. Itin. Indic. lib. 1. c. 18. p. 71. lib. 2. c. 20. p. 136. Cauſam addit Boyle l. c. C. 3.

III. Aquam marinam frigore concretam ſalis quoq; exper-

expertem eſſe demonſtrat Excell. J. U. D. ac Mathem. Prof. in Academ. Kilon. Dnus. Reyher in Act. Erud. Ao. 1697. p. 397. id quod & Barthol. de uſu nivis medico c. 6. innuit. Conf. Act. Med. Th. Barthol. Vol. 1. 64. p. 144. in fine. Potabilem quodammodò reddi poſſe Aquam marinam, ſimplici deſtillatione per Alembicum vitreum leni igne probavit, & teſtimonio famigerati Navarchæ Richardi Havvkins Equitis, qui *Reginæ Eliſabethæ* Claſſi navali in India imperabat, ſtabilivit Illuſtris Boyle l. a. S. 2. C. 2. p. 13.

IV. Sal optimum ac peſſimum ciborum condimentum, conſervat ac perdit homines, diutius enim niſi eô abuterentur, viverent.

V. Inter alia pulcherrima ac humano generi utiliſſima inventa non infimum meritò cenſetur illud, quô quis adverſus aquarum ac fluctuum procellas ad ſatis longum temporis ſpatium tueri ſe poſſit; Invenit ejusmodi machinam quâ

Pugnet in adverſas ire natator aquas,

Celeberr. Prof. Altdorfinus Dnus. Joh. Chriſtoph. Wagenſeil, ac Hydraſpidem nominavit, eandem quoque Cæſareæ Majeſtati oretenus ipſe expoſuit, periculumque in Danubio fecit, quod inventum eventus felix coronavit. Vid. Auct. in Epiſt. de Hydraſpide ad Illuſtr. Virum Petrum Valckenierium datâ, & Altdorfi Noricorum Ao. 1690. impreſſâ. In naufragiis itaque, inundationibus, Cataclyſmis imò natationibus animi gratiâ inſtitutis utiliſſimam fore ejusmodi machinam cum eo cenſemus.

VI. Multorum morborum admiſſio vel evitatio ſimpliciter in manu hominis poſita eſt.

TANTUM.

(o)